


Tit. Crispinus

Magdeburgi
1549.


J 9
2962 a

oo Pa

Vgl. Jg. 2962



I
N

D

D
&
ple
co
&

C



DE IMAGI-
NE DEI ET PRIMORVM
Hominum, Conditorum ad
effigiem DEI.

DE CORRUPTIONE
Imaginis, & destructione huma-
næ naturæ.

DE RENOVATIONE
Imaginis, quæ fit per uerbum semi-
nis promissi, & exhibiti filij Dei.

DE SIGNIS RENATORVM,
& uerorum filiorum Dei, breuis, & sim-
plex, & dilucida explicatio, & Confessio,
contra Antichristos omniũ temporum,
& nostræ ætatis, frustra mordentes
calcaneum Christi, uenientis iam
ad iudicium uiuorum,
& mortuorum.

M. Tilemanni Cragij Luchouiani.

Anno 1549.

Omnis, qui transgreditur, & non ma-
net in doctrina Christi, Deum non
habet. 2. Ioan.



Universitäts-
Bibliothek
Halle



2 2, 3822



SERENIS-
SIMO, AC ILLVSTRIS-
 mo Principi, ac Domino, Domi-
 no Christiano, Daniae, Noruegiae, Schla-
 uorum, & Gottorum Regi, &c. Atq; il-
 lustrissimis Principibus, Domino, Do-
 mino Ioanni, & Friderico fratribus, hæ-
 redibus Noruegiae, ducibus Schlesui-
 censium, Holsatiensium, Stor-
 marn, Detmariensium, Comi-
 tibus Aldenburghensium, &
 Delmenhorst, Dominis
 suis Clementissi-
 mis.



HONESTIS, ET
pijs causis permotus Sere-
nissime Rex, & illustrissimi
Principes, edidi hoc peruer-
sissimo, ac perfidissimo secu-
lo, hanc confessionem fidei,
& doctrinae illius, quam non
sine multa aduersitate in Ecclesia, uocatus tradi-
di, ea fidelitate, ac studio, quo illam accepi à san-
ctissimo Germaniae propheta, et totius orbis Elia,
 A 2 quena

quem his ultimis diebus excitauit Deus, ad reuo-
candam Christi Ecclesiam, ab erroribus antichri-
stianæ abominationis, ab incredulitate, peccato,
& morte, ad ueram lucem agnitionis Dei, & uo-
luntatis ipsius, ad ueram fidem, & Christi iustici-
am, & uitam sempiternam.

Mandatum Dei fecit, ut in hac re minus ti-
merem Antichristi, & membrorum eius iracundi-
am, qui etsi patefactus toti orbi terrarum, tan-
quam filius perditionis, spiritu oris Dei, diutius
tamen adhuc sedere molitur, speratq; in loco Dei,
faciens sese Deum, & efferens sese supra omne
numen Dei, mordens calcaneum Christi, & oppo-
nens se in manibus, fractisq; uiribus suis uenienti iam
in nubibus, ad iudiciū, filio Dei, cum exercitu an-
gelorum, frustra; tentans extinguere astutijs,
atq; insidijs, illicitisq; armis, exortam Euangelij
serenam, & perspicuam lucem.

Etsi autem scio, non defuturos mihi, qui me-
um institutum hoc perturbato omnium rerum sta-
tu, non probabunt, propterea quòd iam satis sit
scriptum, prædicatum, doctum, iam autem sit ta-
cendum, & metuendi potius sint hostes fidei no-
stræ, quam offendendi, & irritandi pluribus scri-
ptis, & concedendum ipsis aliquid, tamen graues,
et piæ cause, contrarium suaserunt, quo minus ab
instituto me deterreri sinerem, præsertim cum
corpus

corpustantum, animam nequaquam interficere
possint, quod & ipsum non est in ipsorum manu,
nisi a Deo nostro ipsis concedatur.

Magis audiendus Deus, redemptor noster
uiuens, qui ait, Nolite timere, ego uici mundum,
Item, non relinquam uos orphanos, ero uobiscum
usq; ad consumationem seculi. Item, Qui me
confessus fuerit, coram hominibus, confitebor &
illum, coram patre meo in caelis, Et qui non dese-
rit domum, agros, uxorem, liberos, uitam, propter
nomen meum, non est me dignus.

Non satis est scripsisse apostolos, sed poste-
ros etiam, Theodosium, Basilium, Augustinum,
Hilarium, & coeteros scribere, & confiteri suo
tempore oportuit. Et post illos Lutherum, &
reliquos scribere, docere, decertare, confiteri,
credere, & praedicare oportuit.

Neq; satis est, hos scripsisse multa, & con-
fessos esse, constanter praedicasse, & recte credi-
disse, nobis etiam, et posteris nostris est scribendū,
docendum, praedicandum, confitendū, et credendū.
Nobis. n. qui superstites relinquimur, demā datur
ea cura, mandato diuino, Non habebis Deos alie-
nos, ut patrum nostrorum uestigia sectemur, &
traditam ab ipsis salutiferam nobis a doctrinam
Christi, porrò praedicemus, propugnemus, ad po-
steros propagemus, et confiteamur Deum nostrum

Iesum Christum, non excogitemus alia, non somniemus, ac doceamus noua, quæ expectant homines in nouis scriptis, sed eadem, quæ accepimus, uetera, uera, ac diuina, in Prophetis, & Apostolis tradita, & uerè comprehensa. Et sic quisq; sua fide, & non aliena uiuet. Quia corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem.

Vtinam igitur non modo homines pijs constanter, & syncerè confiterentur Christum, & doctrinam fidei, sed etiam ipsi lapides, rupes, & syluæ sonarent uocem Euangelij Iesu Christi in testimonium omnibus gentibus, contra blasphemos, & homicidas.

Et certò futurum est, (teste Christo) ut, si hi tacebunt, lapides loquantur, gelidæq; rupes, extremi Indi, Scythæ, Getæq;, canant Hosanna filio Dauid, qui uenit Rex benedictus in nomine Domini.

Hanc autem qualemcunq; operam, sed ueræ doctrinæ confessionem uobis Serenissime Rex, & illustrissimi Principes, dedicandam duxi, quòd ueridamatores puræ doctrinæ Christi, & literarum, & communis tranquillitatis prædicemini. Summo pere obtestor, ut quicquid id est studij, & uoluntatis, pro uestra singulari pietate, & Clementia boni consulatis, & huius ueræ doctrinæ confessionem breuem, in tutelam, uestram suscipiatis.

Oro

Oro etiam Deum patrem redemptoris nostri Iesu Christi, cuius aduentum iam expectamus, ut uos diu incolumes conseruet, & spiritu suo pectora uestra regat, ut puritatem doctrine non modo ametis ipsi, sed etiam nepotibus uestris relinquatis, & conseruetis, propter gloriam Dei nostri, & salutem plurimorum hominum, utq; minantia Ecclesie mala, uestra pietate, & opera leniatis. Id quod fiet, si, acta poenitentia, Deum in Christo uera fiducia inuocetis, peregrinantem, & afflictam Christi Ecclesiam hospitio excipiat, pseudodoctores, quorum iam plurimi insurgunt, procul à patria, regnoq; uestro pellatis, pias scholas conseruetis, homicidia, & illicitam uolentiam seuerè puniatis, & falsos cultus deleatis.

Hac re nihil uobis est honestius, & laudabilius, Ecclesie afflictæ nihil optabilius, magisq; salutare, ac Deo æterno nihil gratius, qui pluribus beneficijs hæc pietatis opera recompensabit. Non est, ut potentiam Diaboli, & mundi metuatis, ira Dei timenda est, erga peccata, & ingratitude, & contemptum uerbi, qua placata, placatus pro uobis pugnabit Deus, uosq; defendet. Pater æterni filij, qui nos consortes fecit hereditatis sue, in cœlestibus, diutissime uos fœliciter conseruet, & pectora uestra gubernet, potenti suo spiritu ad gloriam

gloriam sui nominis, & ad uestram, & totius Ec-
clesiæ eternam salutem, Amen. Datum Mag-
daburgi. 24. Iulij. Anno. 1549.

Vestre maiestati, & Celsitudini.
addictissimus M. Tileman-
nus Cragius.

AD GER- MANIAM, ET OM- nes pios.



EXtrema hæc mun-
di tempora sunt, de quibus
prædixerunt Christus, &
Apostoli, fore, ut ante no-
uissimum diem, & ultimum
iudicium prædicetur Euan-
gelium, & in aperta Euan-
gely luce, odio habeantur p̄ij à cunctis gentibus,
& occidantur multi propter nomen, & doctri-
nam Christi, multi offendiculum patiantur, atq;
inuicem alius alium tradant, multi pseudopro-
phete surgant, & seducant multos, abundet ini-
quitas, refrigescat charitas, &c. Matth. 24.

Evidentibus.

Euidentibus sanè, & manifestis signis depin-
gitur præsens, & miserabilis Ecclesie status, tris-
tissimaq; forma postremæ ætatis, ante consumatio-
nem mundi, quæ adeo abundabit iniquitate, &
sceleribus, ut, cum uenerit filius hominis, fidem in
terra non sit reperturus.

Hæc tamen pijs proponitur consolatio, quòd
in medijs tempestatibus, & fluctibus, magnisq; bel-
lorum tumultibus, & omnium rerum confusione,
non delebitur Euangelium, sed prædicabitur, &
sonabit in uniuerso orbe, in testimonium omnibus
gentibus, & tunc ueniet consummatio, & redem-
ptio Israelis, quemadmodum Christus aperte do-
cet Matth. 24. & Paulus 2. Tessa. 2. Vbi ait
reuelatum iri filium perditionis, & confectum
spiritu oris Dei, hoc est Euangelio Christi, deinceps
de abolitum iri penitus, claritate aduentus ipsius.

De gimus in ultima mundi senecta, & pos-
trema die hebdomadis, ex qua proxime in æter-
num sabbathum ingrediemur, & ex hac mortali
uita in æternam migrabimus. Quinq; enim mi-
lia annorum, & ultra iam compleuit mundus, &
ad suum finem peruenit. Reliqui enim anni Elie
abbreviabuntur, qui de spacio temporis huius
mundi prædixit. Sex milia annorum mundus, &
postea destructio.

A 5

Duo

Duo milia inane.

Duo milia lex.

Duo milia Messias. Et si quid ex his annis
deerit, deerit propter nostra peccata.

Deinde non est presentius signum appropinquantis aduentus Domini, quam quod Christus prænunciavit, ante consumationem mundi prædicatum iri Euangelium, in uniuerso orbe. Id iam prædicari coeptum est, & pure prædicatur à ueris, & constantibus acceptæ doctrinæ testibus, non sine ingenti odio Sathanae, multoq; sanguine piorum.

Quid? an non semper prædicatum est Euangelium? Nequaquam. Longo enim tempore sepulta idolis, & densissimis humanarum traditionum nebulis, & efficacibus erroribus fuit uera Apostolorum, Prophetarum, & Christi doctrina in desolatione Antichristi, cum summa clade innumerabilium animarum.

Meruit hanc ingentem iram Dei persecutio, & contemptus Euangelij, qui ætate, & post ætatem Apostolorum statim accreuit, sicut & iam maxime crescit. Propterea enim (teste Apostolo 2. Tessal. 2.) quòd dilectionem ueritatis non receperunt in hoc, ut salui fierent, misit illis Deus efficacem illusionem, ut crederent mendatio, ut
iudicentur

iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati,
sed approbauerunt iniusticiam.

O horrendam iram Dei, quæ semper secuta
est impietatem populi sui, & fastidium Euange-
lij, quæ & nobis pertimescenda est, ob iniquita-
tem, & contemptum Dei, perpetuumq; aduersa-
riorum dissidium de doctrina Euangelij. Consti-
tuit autem Deus terminum Antichristo Romano,
& pontificio regno, quousq; seduceret, & tyran-
nica seruitute præmeret Ecclesiam. Furor est
ingens, & inanis Diaboli, et hostium Dei extrema
insania, & cæcitas, pugnare cum Deo, & impedi-
re uelle uoluntatem Dei, & sperare instauratio-
nem scilicet papistici regni, haud dissimilis istæ
insania, si quis remorari cursum solis uelit, & ar-
mis sese opponere uenienti iam in nubibus ad iu-
dicium filio Dei, cum exercitu cœlestis militiæ.
De uobis prophetauit Apostolus ò persecutores
fidei, & sanguinis Iesu Christi. 2. Tessal. 2.
quod exacerbatum Deus puniturus esset uniuersa-
sam Ecclesiam, & missurus efficaces errores,
quibus plenum est uestrum regnum, in hoc, ut cre-
deretis mendacio, ut iudicemini omnes, propterea
quòd non credidistis ueritati, ut salui fieretis. Cur
errores uestros stabilire conamini, ut pereatis et ip-
si & alij? Cur mendacio credere mauultis, quam
ueritati?

ueritati? Cur iratum retinere Deum? cur iudicari potius, quam seruari cupitis cæci, & insani? Metuite iram Dei, & agnoscite tempus uisitationis uestre. Prædicari Euangelij promissionem, ante finem mundi oportuit, sicut prædixit Christus, in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, oportuit reuelari filium perditionis Antichristum, & confici spiritu oris Dei, antequam aboleretur claritate aduentus ipsius.

Quare fugatis tenebris reddidit Christus perspicuam Euangelij lucem Ecclesiæ, reuocans eam ante aduentum suum, ad poenitentiam, & amplectendam puram Euangelij sententiam. Et personat uox Euangelij in omnem terram, ex uera Ecclesia, quam Deus suscitauit & illustrauit, in medio inimicorum suorum, recte traduntur, & creduntur omnes articuli Christianæ doctrinæ, in uero sensu Prophetarum, & Apostolorum, recte administrantur Sacramenta, recte de peccato, poenitentia, fide, iustificatione docetur, nec potest Deus ullo modo magis declarare suam bonitatem & clementiam, post tantam iram, quam, quod uerbum suum, longe, lateq; spargi, & seminari sinit, neq; restat amplius in Prophetis, & Apostolorum uaticinijs, quod miseris mortalibus præstet Deus, quodq; expectent ipsi, nisi destructionem
totius

totius machinae rerum, & diu expectatam redem-
ptionem Israel, & uitam in caelis sempiternam.
Quod si hanc uoluntatem Dei, & misericordiam
ostensam ante finem mundi agnoscere, & am-
plecti hostes Dei non uelint, ruent in maiores, &
nouos errores, & crudeliora mala, ut iudicentur
durius, & aboleantur iam claritate aduentus Do-
mini, quibus postea non restabit ulla spes salutis
in æternum. Non hominis hæc uox est, sed ueri-
tas Dei nostri, qui per electum uas, Apostolum su-
um hæc nobis, & toti orbi prædixit.

Ardentibus igitur animis, & pectoribus E-
uangelij salutiferam promissionem amplecti, &
uenerari, letumq; illum diem uenturi redempto-
ris expectare omnes ubiq; terrarum debebant,
& quisq; eam confiteri, & pro uiribus defende-
re, ac uitam pro fratribus in discrimen ponere,
omniaq; amittere propter nomen Christi.

Qua uero fide id faciat ingratum, incon-
stans, & perfidum hoc seculum, qua fide, & di-
lectione fratres suos, & hæredes uitæ æternæ affi-
ciat, quo iure, quaq; iniuria optimos quosq; tra-
dat, & opprimat, totus orbis uidet, maxima cum
ignominia, & pernicie Germanicæ gentis, & re-
liquarum nationum, id quod posteri magis sen-
tient, quam nostra ætate sui oblita Germania,
non

non agnoscens tempus uisitationis suæ. Pauci admodum sunt, quibus cordi est uera pietas, gloria Dei, & salus publica Ecclesiæ, pauci, qui plantari diuina dogmata, & propagari literas ad posteritatem cupiunt. Hostes uero & plurimi, & maximi sunt, qui cœlestem doctrinam, unâ cum literis prorsus extinctam uolunt, Turcæ, pontifices, & eorum satellites, & coniurati epicurei, qui maledicunt Deo, & sine modo, & sine irri- tant ipsum crudelibus blasphemijs, idolorum cul- tibus, immunditijs, homicidijs, perpetuisq; de- liberationibus, & contentionibus de doctrina Euangelij, quam in paradiso prædicauit fili- us æterni genitoris, quam seruarunt, & poste- ris per manus tradiderunt sancti patres, quam illustrarunt Prophete, cui testimonia ferunt cœ- litus Angeli Dei, quam docuit, & stupendis mi- raculis confirmauit CHRISTUS ueritas, & uita, quam deniq; in synodo Apostolorum firmam, ra- tam, atq; immutabilem pronunciauit Deus spiri- tus sanctus, & signis subsequenter per Aposto- los prædicauit, inter Iudeos, plantauit inter gentes, colligens sibi sanctam, & obedientem Euangelio Ecclesiam, quæ durabit usq; ad con- summationem seculi. De hac Prophetica, Apo- stolica, ac diuina doctrina, primum disceptan- dum, consultandumq; tot annis censent hostes ueritatis,

veritatis, imo delendam prorsus statuunt. Quid
quæso hoc aliud est, quam Deum accusare men-
daciæ, & filio Dei in os conuiciari, pugnisq; fa-
ciem eius ferire, & cœlo bellum inferre? Econ-
tra suas traditiones, & inutiles ceremonias re-
clamante Deo, & Prophetis, instaurare, & sta-
bilire armis moliuntur, damnato uero cultu Dei.
Quid obsecro est facere sese Deum, & efferre se
supra omne numen Dei, si hoc non est?

Præterea in membra Christi, sanctificata
preciosissimo sanguine filij Dei, furiosè seuiunt
cœci, & persequuntur credentes filios Dei, morte
omnium crudelißima, idq; non propter peccata
ipsorum, quæ facile ferunt, sed propter nomen,
& doctrinam Christi, quam ferre nequaquam
possunt, sicut prædixit Christus, odio uos habe-
bunt, & occident, propter nomen meum. Non se-
nibus, non pueris, non matronis honestissimis, non
uirginibus castissimis parcitur. Cœlum contre-
miscit impletum clamore effusi sanguinis piorum,
ab Abel iusto, usq; ad Zachariam, Prophetas,
Apostolos, & innumeros nostri temporis mar-
tyres.

Hæc sunt, quæ prouocant iram Dei, & ex-
tremum diem accelerant, & infinita mala toti
orbi terrarum accumulant. Exaudiet tan-
dem Deus misericors, & longanimis gemitus
pauperum,

pauperum, & pupillorum clamantium ad se die,
ac nocte, & idem fortis, & iustus iudex uindi-
ctam exercebit in homicidas, & blasphemos sem-
piterna gehenna.

Multis etiam modis accendunt iram Dei pec-
cata nostrorum, quorum sceleribus eò magis iras-
citur Deus, quò rectius docetur apud nos uera
Dei uoluntas. Deteriores redduntur summi, atq;
infimi, omnia sunt plena hypocrisi, inconstantia,
inuidia, perfidia, proditionibus, crescit omne ge-
nus iniquitatis, refrigescit charitas. Nullus est
amplius in gubernatoribus (exceptis paucissimis)
amor honesti, & uirtutis, nullus timor Dei, turpissi-
ma quæq; laudi ducuntur, atq; licere putantur,
sunt foedera confitendæ ueræ religionis, ut Ec-
clesia obediens Euangelio, hostibus sanguinarijs
tradatur, prætextu pietatis mundana quærun-
tur, opes, regna, honores. Vulgus inhiat usuris,
furtis, atq; rapinis. Ille occupatus uoluptatibus
carnis, adulterijs, & abominandis flagitijs. Ille
odijs flagrat erynnicis, insidiatur bonis, famæ, ui-
taq; proximi, persequitur, & occidit, quem Deus
uiuere uoluit. Famam ille innocentis maliciose
denigrat, & extinguit, priuato odio, & inuidia
correptus. Hic iudicium sibi sumit de summis re-
bus, in doctrina cœlesti, pernegans iusticiam, &
immortalitatem primis hominibus inditam, per-
negans

negans mortem à Diabolo , per peccatum duxisse
originem, coelum turbans, terraq; miscens, aduer=
sus doctrinam fidei , gratis iustificantis peccato=
rem, hic à uera doctrina deficit , ille pietatem, ac
ueritatem potentis metitur, ex largitionibus, am=
plis opibus, dulcibus uerbis , factaq; ab euentu no=
tat, deserens, & condemnans afflictum , & cala=
mitosum , multisq; malis defatigatum , irrucens in
parietem inclinatum. Ille falso consilio defrau=
dat, perditq; fidentem, & inopem. Nulla est us=
quam inter homines amplius Fides, nulla ueritas,
nulla charitas, fucata , & insidiosa in hominibus
sunt omnia. Mutatus est omnium gentium, &
linguarum sermo, non in ita, ita in non , sine dis=
crimine conuersum. Et qui hæc non sapiunt ho=
mines ueri amantes, decipiuntur, & defraudan=
tur, mentisq; expertes, & stulti dicuntur. Et ue=
re stulti, quia & ipsa sapientia Dei , & ueritas,
stulticia summa est, coram sapientibus filijs huius
seculi, ueritas mendacium , & nos propter Chri=
stum (ut ait Apostolus) stulti sumus. Illi interim
uersuti, egregie norunt simulare singularem pie=
tatem , ita ut & ipse sanctissimos , optimosq; eos
esse iurares , sed si recte noueris , contemptores
sunt uerbi, et Sacramentorum, despoliatores pau=
perum , & Ecclesie , usurarij , iniuriosi , palam
mendaces, uirulenti, & implacabiles persecuto=
res mi-

B

res mi-

res ministrorum Dei, uel uerbulo offensi tantum?
Non minus Christiani sunt isti, non minus Euan-
gelici, quam Herodes, qui pietatem egregie si-
mulabat, cupiens uidere Christum, & miracula,
uerum miracula tantum contemplari cupiens, ut
nouitate rerum oblectaret animum suum, doctri-
nam autem despiceret, atq; rideret. Ioannem eti-
am baptistam domi suae habuit, audiebat eum li-
benter, mortemq; ipsius dolebat, scilicet, & con-
tristabatur, attamen innocentem, & sanctum ho-
minem uolens occidebat. Tales uulpes habent
aule principum, qui Ecclesiam tradunt, & san-
guinem piorum sorbent. Caueas tibi ab istis ho-
minibus. Mellitis ipsorum uerbis fidem habere no-
li, decipiunt, ridentq; uere pios, & uerbum Chri-
sti. Prædixit ista Christus, Eritis odio cunctis
propter nomen meum, eijcient uos è sinagogis,
ex ciuitate in ciuitatem, Et ueniet tempus, ut,
quisquis interficiat uos, uideatur cultum præsta-
re Deo.

Hæc inter alia sunt, quæ faciunt, ut scanda-
lum patiantur multi, ut insurgant falsi doctores,
exoriantur uariæ sectæ, reuiuiscant ubiq; lati-
tantes Anabaptistæ, Sacramentarij, Papisticæ tra-
ditiones, & idololatriæ operarij, hypocritæ, Iu-
dei, hæretici, et innumeri alij impostores, qui con-
fundent

fundent religiones, obscurabunt Euangelium,
maxima cum angustia multorum cordium, adeo
ut uix paucissimi perseuerare ad finem, in uera
fide, & pura Euangelij doctrina possint. Tum re-
linquetur nobis sola zizania, & colluies infini-
tarum seductionum, & barbarica scelerum licen-
tia, tristior regnorum forma, turpissima serui-
tus, miserrima honestarum rerum uastatio, & ob-
caecatio perpetua.

Id quod electo, & peculiari populo Dei,
ipsis Iudaeis accidit, qui metuentes suo regno,
templo, & bonis, a doctrina Christi, regnum, &
templum, legem, & Caesarem, & Deum ipsum
amiserunt, propter spretam, & desertam Christi
doctrinam, conantes retinere regnum, & pacem,
& omnia, repudiato Euangelio Christi, existi-
mantes nihil ipsis posse deesse, si regem non ha-
berent, nisi Caesarem. Si proprijs ramis non
pepercit Deus, minus parcat nobis ingratis gen-
tibus, mittetq; Euangelij solem in barbaras gen-
tes, Scythas & Getas, & migrabit cum Ecclesia
sua, in occasum, tendens ad finem mundi. Potens
est enim Deus, si hi tacebunt, excitare sibi se-
men, & Ecclesiam, ex rigidis, horridisq; rupi-
bus, quae loquatur & praedicet magna Dei
opera.

Mitigent autem hanc imminentem iram Dei, leniantq; tanta mala, quæ uentura sunt, omnes pij, quantum possunt, consulant, atq; succurrant rebus ruentibus omnes reges, & principes, quantum in ipsis est.

Possunt autem mitigare iram Dei, & communes miseras lenire, si agentes pœnitentiam delictorum, ardentibus uotis Deum fiducia Christi, inuocent, liberationem Ecclesiæ serio, & assidue petant, & synceram Euangelij ueritatem constanter, & intrepidè confiteantur, reiecto omni Phariseorum fermento, si gubernatores idola abrogent, excogitatos cultus, & ceremonias inutiles tollant, quibus plerumq; adheret opinio cultus, & meriti, si blasphemias, & cætera flagitia puniant, literas, & scholas conseruent, synceros Ecclesiæ doctores alant, & tueantur, seductores à sua domo, & à finibus sui regni quàm longissimè arceant. Sic Niniue seruata est, pœnitentiâ regis, & populi, quam Deus delere decreuerat. Postulat omnino Deus hanc operam, & officium à gubernatoribus. Intelligite reges, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei, cum tremore, Ne irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta. Psal. 2. Non est, ut nimium metuatur potentia mundi, & Sathane, Deus iratus timendus est, cuius ira magis accenditur

cenditur nostra incredulitate, inconstantia, perfidia, ingratitude, timiditate, stulticia, & imprudentia, & sceleribus. Pœnitentia serio agenda est omnibus, ut iratus nobis placetur Deus, placata ira eius omnia erunt salua. Si Deus propitior factus, pro nobis steterit, atq; pugauerit, quis contra nos? Quis separabit nos à dilectione Dei? num gladius? fames? nuditas?

Christus defensor uite nostræ, & Ecclesiæ caput, regat spiritu suo gubernatores, & omnes bonos, & pios, ad gloriam sui nominis, & salutem Ecclesiæ, & auertat horrenda illa mala, quæ minantur nobis, seruet Ecclesiam suam in Germania, & alibi, atq; acceleret extremi diei liberationem,
Amen.

B 3

De imagi,

DE IMAGI- NE DEI ET PRIMORVM

Homínium conditorum ad
imaginem Dei.

Gene. 1.

FAciamus nobis homines ad imagi-
nem nostram.

Et fecit Deus hominem ad ima-
ginem suam, ad imaginem Dei creauit
eum, masculum, & foeminam.

Præcipua membra, & capita uniuersæ
scripturæ sunt, ad quæ reliqua referuntur.
1. Creatio hominum ad imaginem Dei in uera
iusticia & sanctitate. 2. Destructio imaginis,
& corruptio humanæ naturæ, quæ est ipsum
peccatum condemnans omnes homines. 3. Re-
generatio hominis ad uitam æternam, quæ fit
per uerbum & Sacramenta seminis promissis,
& exhibitæ Iesu Christi. Dedit enim Deus
potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in
nomine ipsius, Qui non ex sanguinibus, non
ex uoluntate carnis, non ex uoluntate uiri, sed
ex Deo nati sunt. Ioan. 1.

Creatio autem, & indita Imago primo-
rum hominum cognoscenda est ex imagine
Dei. Condidit enim Deus in exordio rerum
homines singulari consilio, & deliberatione
ad imaginem suam, postquam uerbo creasset
cælum,

coelum, & terram, & omnia bonis imple-
uisset.

Imago autem Dei non est corporea, & ui-
sibilis forma, sed est spiritualis essentia incon-
spicua Dei, æterna sapientia, iusticia, miseri-
cordia, potentia, & immortalis diuinitas,
quam nemo hominum perspexit unquam, nec
Moses in monte Horeb, ubi magna cum ma-
iestate Deus apparuit. Exo. 19. 33. Nec Bab-
tista in Iordane, baptizans filium Dei, lo-
quente patre, & descendente spiritu sancto, e
coelo aperto Matth. 3. Nec discipuli Christi
in monte Thabor Matth. 17. Nec Paulus in
tertium usq; coelum raptus, quam pia mente,
& uera fide sancti apprehenderunt, & con-
spexerunt, in uerbo Dei, & mirabilibus ope-
ribus eius, in creatione mundi, & redemptio-
ne generis humani.

In creatione quidem, & conseruatione om-
nium rerum, abunde sese manifestauit Deus,
& conspiciendam præbuit inuisibilem suam
imaginem, & essentiam. Mira sapientia cre-
ata est mundi machina, mira sapientia guber-
natur, & conseruatur. Coelum ornatum suis
luminibus, sole, & luna, atq; amictum innu-
merabilibus stellis. Terra e contra suis stel-
lis, uarijs, & suauibus floribus, utilibus fru-
ctibus, & multiplicibus bonis uestita, ut pul-
chritudine stellas cœli æquare uideatur, ut si-
ue sursum leues oculos, siue in terram defigas,
sapientiam, iusticiam, bonitatem, & poten-
tiam infinitam Dei uiuentis undiq; depræ-
hendas, qui omnia uiuificauit, in quo omnia
existunt, & mouentur. Sol præclarum opus
Dei, statuto tempore cursum suum recte con-
ficit, & absoluit, mundo lucem præbet, adfert,

& eripit lunæ splendorem, uicissitudines hie-
mis, & æstatis efficit, dierum, mensium, &
annorum seriem constituit, et iam inde a prin-
cipio mundi usq; ad hæc quinq; milia anno-
rum, inseruiuit orbi terrarum, admirabili, &
indefessa celeritate circumuolutus, noxios hu-
mores aut dispellit, aut coactos consumit, aut
uolentia deprimit, & regit, ac temperat totus
cœli exercitus inferiora corpora, attractum
humoris copiam terræ sitiienti remittit, eamq;
fouet, & fructificat, educens calore uarias ge-
nerationes, herbas odoratas, arbores, fructus,
aromata, panem, uinum, ad confortandum,
& lætificandum corda hominum.

Hæc in creaturis suis operatur Deus no-
ster inconspicuus, per λόγον, καὶ εἰκόνα filium
suum, Dominum nostrum, ex quibus clucescit
æterna eius sapientia, iusticia, potentia, & im-
mortalitas. Quam uero miserabilis esset fu-
turus orbis, si destitueretur lucis beneficio,
uita hæc, quam diu duraret, esset uera mortis
imago, non uer, non æstas, non messis, non
fructus ulli nobis essent expectandi, situ obdu-
cerentur omnia, & interirent miserrime. Tum
demum intelligeremus, quanta sint nobis be-
neficia Dei in hoc uno opere ostensa, fatere-
mur eluxisse in creaturis essentiam, & præsen-
tiam Dei, nobis non animaduersam. Et si iu-
stam iram aduersus peccata mundi declarare
hoc modo uellet Deus, ne putemus ipsi defutu-
ram potentiam. Ostendit eam impio Regi
Pharaoni, ubi fecit tantas tenebras in uni-
uerso regno Aegypti, ut palparent eas cœci
tribus continuis diebus, & noctibus, qui De-
um lumen uerum agnoscere, & intueri in crea-
turis,

turis, & in uerbo Dei, atq; in aperta luce miraculorum eius non uolebant.

Maris miracula similiter eandem Dei sapientiam, & potentiam ostendunt, quod etsi terram circumdat, & altius ea eleuatur, ipsam tamen non opprimit, sed intra suos limites consistens, animantibus habitaculum concedit, & tamen hanc quoq; partem terræ eminentem non aridam destituit, sed meatibus, & fluminibus eam irrigat, & foecundat, potum præbens animantibus, & syluis, in altissimis etiam montibus.

Cernimus hic sapientiam, & potentiam
immortalem Dei nostri, qui segregauit aquas
ab aquis, qui circumdedit mari terminum suum, & legem posuit ei, ne transeat fines suos, qui impleuit mare bonis suis, & dominos eorum constituit homines.

Pro. 8.
Iob. 38.

Atq; ita Deus ex operibus suis cognoscitur, qui sese in creatione patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia eius, ex creatione mundi peruidentur, dum per opera intelliguntur, ipsaq; æterna eius potentia, & diuinitas. Ro. 1.

Maxime uero effusus est thesaurus sapientiae, iusticiae, misericordiae, & potentiae Dei immortalis, in opere redemptionis, quo liberauit genus humanum ex tenebris, a peccato, & morte æterna, solus consilium, & auxilium ferens damnato, & perditio in peccatis uniuerso mundo, ubi non erat ullus in terra consilij locus, siquidem conculcandum erat caput serpentis, delendum peccatum iusticia, & poena, frangenda ira Dei, tollendum a mundo iustum Dei iudicium, & abolita morte, recuperanda mortalibus noua, coelestis, & spiritua-
lis uita,

B 5

Hic

Hic Deus pater fecit uictimam filium suum dilectum, & iudicium mundi exercuit in filio, cruci affixo: Neque enim ullo alio nomine placari ira Dei potuit, Hic uicit mortem, instaurauit uitam, & excitauit tanti beneficii, & triumphii praecones, Prophetas, & Apostolos, & intercedit ipse pro credentibus, a dextera aeterni patris, conseruans sibi, Ecclesiam credentem, fremente mundo, & Sathana.

8.019
10.101
Rom. II.
Hæc non mundi, non principum huius seculi, non angelorum est sapientia, & potentia, sed Dei sapientia est, in mysterio recondita, quam prefiniuerat Deus ante secula, quam intuens exclamat Apostolus. O profunditatem diuitiarum sapientiae Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiae eius, quis cognouit mentem domini? & quis illi fuit a consilijs?

Cernimus itaque hic inconspicquam, & imperuestigabilem diuinæ sapientiae imaginem. Summæ etiam misericordiae, & amoris seu clementiam, seu imaginem in eodem facto deprehendimus, si consideremus, quod filium suum aeternum, & unigenitum in carnem mittere, atque adeo in maledictionem, & mortem tradere maluit, quam permittere, ut interiret tota gens humana, sicut Christus ipse ait. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam aeternam.

Summæ, & infinitæ iustitiæ essentiam declarauit Deus, dum per filium suum deleuit peccata mundi, uindicans condemnatos peccatores, sua iustitia, ab aeterna morte, & impuans iustitiam omnibus credentibus.

Aeternæ

Aeternae potentiae, & uitae immortalis,
imago conspicua est in hoc, quod in mortem
traditus filius Dei, in morte teneri nulla ui
mortis, & inferni potuit, quod a mortuis re
surgens, uerus Deus, & homo, triumphator
mortis, & serpentis euasit, & redemit uitam
sanguine suo omnibus, qui inuocant nomen
eius. Atque in hoc facto maxime conspici uult
Deus, quemadmodum docet inquit, Osten
dam tibi omne meum bonum, & inuocabor in
nomine Domini coram te, & miserebor cuius
uolero, & clemens ero, cui mihi placuerit, fa
ciem autem meam uidere non poteris. Non
enim uiuet homo, in terris, qui me uiderit.

Exo. 33.

Huc igitur sese conuertat, qui uolet De
um uidere, & imaginem ipsius cognoscere, re
spiciat in Christum, qui est ipsa plenitudo di
uinitatis, & imago inconspicui Dei, quae ful
get, non in uisibili corporis Christi forma, sed
in gloriosa uictoria peccati, mortis, & serpen
tis, in conseruatione Ecclesiae, dominantis in
medio inimicorum.

Huic aeterno, sapienti, iusto, immortalis,
inuisibili, soli Deo nostro, sit gloria in secula,
Amen.

Atque ita imago Dei est ipsa diuina essen
tia, sapientia, iusticia, & aeternitas.

Iuxta hanc itaque imaginem, seu essentiam
suam creauit Deus homines, qui uere fuerunt
speculum diuinae imaginis, similitudo diuinae
sapientiae, iusticiae, potentiae, & immortalita
tis, praediti summa intelligentia, & cognitio
ne, qua Deum, & omnes creaturas recte noue
runt, summa iusticia, & sanctitate, qua Deum
ardenter dilexerunt, ex tota mente, toto pe
ctore,

ctore, & omnibus uiribus, præditi summis uiribus, & incorruptibili robore, & immortalitate, destinati ad æternam, & spiritualem uitam, in coelestibus.

I. Nouerunt igitur præstanti sapientia, & spiritu sancto ornati, unum esse Deum, æternum, sapientem, iustum, immortalem, omnipotentem, creatorem mundi, nouerunt tres distinctas esse personas, in una indiuidua essentia. Ideo enim conditi ad imaginem Dei, ut in eis relucesceret uera agnitio Dei patris, filij, & spiritus sancti, unde & cum Deo loquebantur, in paradiso, sine ulla dubitatione, & formidine, & legem accepit Adam, grato animo, æquum iudicans, ut Deo optimo, creatori suo præstaret obedientiam, a quo conditus, uitam, & omnia habebat, haud ignarus, quod perpetuo amore, & obedientia coli uellet æterna maiestas,

Creaturas Dei quomodo ignorarent, qui creatorem uere cognoscebant? Nouerunt spirituales creaturas, ipsos angelos, tenuerunt exacte omnem philosophiam, uiderunt substantiam cœli, & causas motuum cœlestium, uiderunt operationes, & uirtutes stellarum, perspexerunt sapientissimam humani corporis structuram, & miram omnium membrorum dispositionem, & singulorum actiones, peruiderunt uirtutes herbarum, & fructuum, & naturas animalium, unde & cunctis animantibus nomina indidit Adam, non excogitata, sed conuenientia cuiuslibet animantis naturæ, discernens naturam hominis, a substantijs bestiarum. Igitur, conspecta Eua, statim inquit, hoc est os ex ossibus meis, caro ex carne mea, hæc uocabitur uirago, quoniam de
uero

uero sumpta est. Scire hæc non potuisset, nisi
perspicacissimus creaturarum natura fuisset,
quandoquidem ex Adam alto somno sepulto
Eua condebatur.

Cæterum iusticiæ imago uere arsit in cor- I I
de hominum, ita ut dilexerint Deum, ex totis,
& omnibus uiribus. Et recte consenserunt
mens, uoluntas, & cor. Quemadmodum enim
mens recte cognouit Deum, & uoluntatem
eius, quod dilectione, & timore affici uellet,
ita cor cum uoluntate idem sentiens, Deum
dilexit ardentem, ex omnibus uiribus, nec erat
in natura hominis quicquam, quod uel menti,
uel uoluntati, uel cordi obstaret, quo minus
rectissima quæque mens intelligeret, & quæ in-
telligeret, ea quoque totus homo uellet, & quæ
uellet, ea etiam sine ullo impedimento præ-
staret. Mutua omnino, & ardens fuit dilectio,
inter Deum, & hominem. Deus uere, & totus
φιλάνθρωπος paterno affectu prosequabatur
hominem, homo e diuerso *θεοφιλέ* redama-
bat Deum, ex toto pectore, tota anima, et om-
nibus uiribus.

Atque lex diuina exigens perfectam in ho-
mine dilectionem Dei, & fiduciam in Deum,
certo ostendit originalem illam iusticiam,
quæ fuit in hominibus, ante transgressionem
legis. Non enim requirit Deus ab humano
genere ea, quæ ipsi non indiderit, quæque præ-
stare homo nulla ratione possit. Id enim ty-
rannidis esset species, quæ in Deum non cadit.
Iam autem requirit Deus perfectam obedi-
entiam incorrupti hominis, & iusticiam puri
cordis, atque adeo hominem integrum, notitia
Dei, & uera sanctitate, quem non continet or-
bis terrarum, ac postulat Deus talem homi-
nem;

nem, cum seuerâ comminatione æternæ mortis. Maledictus enim omnis, qui non permanet, in omnibus, quæ scripta sunt, in libro legis, ut faciat ea.

Indidit itaq; Deus naturæ hominum eam, quam requirit iusticiam, & merito præmit mundum, asperitate legis, exigens ea, quæ non habet, quæq; perficere suis uiribus non potest mundus. Nam, habuit eam, sed amisit per peccatum, quod hominibus impressam imaginem deformauit, & sapientiam cœcitate mentis, & iusticiam prauitate cordis permutauit. Repetit Deus quod suum est, quod humanæ naturæ infudit, & est donaturus iterum, quod reposcit, si modo suam calamitatem, ex lege, agnoscant, & confiteantur, & gratiam Dei fiducia Christi petant peccatores. Non igitur inclementia Dei est, quod legem duram tulit, & durissimam poenam trãsgressioni adiecit. Deus enim hominem nullum condemnat, sed reuelat de celo iustam iram, erga peccata, & indicat lege, omnes filios Adæ natura peccatores esse, & condemnatos æterna morte, iam in paradiso, propter peccatum, ab Adam tractum in omnes posteros, & ostendit omnes indigere gratia redemptoris, qui restituat destructam imaginem, in integrum, & donet nouam noticiam Dei, nouam iusticiam, & uitam æternam,

Ephe. 5.

Hinc etiam dicitur Ecclesia sancta, regenerata spiritu sancto, sponsa Christi, quod Deum in Christo agnoscere, & diligere rursus inchoet. Sed perfectior fuit Adæ dilectio, qua Deum affecit ante lapsum, quam reparatorum est, erga Christum, qui tantus est tamen, ut quælibet aduersa ferat Ecclesia, propter Christi

ter Christum, omniaq; deserat, & mortem subeat potius, quam Deum in Christo abneget.

Liquet ex his, creatum esse hominem, in principio, in uera iusticia, & sanctitate, qui uere præstitit, quod lex nobis peccatoribus frustra præcipit. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum. Vere habuit homo, a Deo primum conditus, concinnam harmoniam, in omnibus membris suis, qui post lapsum nactus est aliam legem, repugnantem legi mentis, ut bonum, quod uiderit, & uoluerit, perficere non potuerit, propter habitans, in natura, peccatum, ut queritur Apostolus. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quæ est illa alia lex, in membris? nisi destructio sanctæ imaginis, & caligo ebocæcæ mentis, & prauitas perditæ carnis, plenæ concupiscentia, secum rapiens hominem, in suam sententiam, contra legem Dei, in tetras dubitationes de Deo, in diffidentiam, & infinita scelera. Huius innatæ malitiæ, perpetua militia, aduersus legem Dei, non a Deo, sed a Diabolo, per peccatum, homini infusa est.

Immortales porro fecit Deus homines, **III.**
ex quibus uoluit propagari genus humanum
immortale.

Nam ad imaginem suam effinxit eos, quæ **I.**
est ipsa immortalis diuinitas. Vere itaq; fuerunt homines similitudo, Dei immortalis, qui ætate non consenescere, tristitia, & morbis non consumi, morte nulla occupari poterant, qui perpetuo uixissent, si in sanctitate sua permansissent, donec e paradiso sustulisset ipsos
uidentes

uidentes Deus, in coelestem, & spirituales ui-
tam, ut Eliam abstulit. Si uero mortales es-
sent homines ex creatione (ut statuunt qui-
dam) necesse esset, homines non esse effectos,
ad imaginem Dei. Mortalis enim natura,
non est immortalis Dei effigies, nec Deus im-
mortalis, est exemplar mortalis creaturæ.
Item minus uerum est, quod a spiritu sancto
dicitur, mortem esse stipendium peccati. In-
eptissimum est, hic dicere imaginem Dei, in
hominibus, esse corpoream formam, os subli-
me, &c. Cum Deus sit spiritus, neque carnem,
neque ossa habeat, cuius similitudo possit esse
homo.

II.
Gene. 5. Cæterum, si Adam peccato debilitatus,
mortique addictus, ex paradiso expulsus, egit
in terra maledicta, noningentos, & triginta
annos, Jared noningentos, & sexaginta duos,
Mathusalem noningentos, & sexaginta no-
uem, multo facilius tot mille annos, in paradi-
so uixissent sancti, & uiribus, & natura inte-
gri, quot centum uixerunt, morti obnoxij pec-
catores, nisi Deus citius uoluisset eos in cœ-
lum abducere, quemadmodum Enoch, post
trecentos, & sexaginta quinque annos, uiuen-
tem abstulit a terra. Non erat in natura ho-
minis quicquam, quod mortem ipsi adferre
poterat, sed per peccatum, quod ex natura
Diaboli promanauit, mors intrauit in mun-
dum, & stipendium peccati cœpit esse, post-
quam lapsus est homo.

Hic autem porro incredula, & disputa-
trix ratio, obstrepit ueritati, uidet hominem
ex elementis constare, hinc statuit a Deo con-
ditum mortalem, contumelia afficiens Deum,
qui non mortis, sed uitæ Dominus, & auctor
est. **VI**

est. Videt omnia animantia interire, & In terra reuerti, quod ex terra facta sint, ipsas etiam silices, longinquitate temporis, dissolui, metalla consumi, arbores, in cinerem, deformari, lilia agri priorem materiae formam induere, quorum pulchritudo superat ipsum regem Salomonem, in omni sua gloria. Hominem similiter iudicat interire, ex natura creationis. Verum quod homo comparatur herbae, & omnis gloria eius flori caduco, teste propheta, Omnis caro foenum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, exiccatum est foenum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo, uere foenum est populus, quod denique puluis dicitur, eius rei causa est peccatum, quod moritur, ut bestia, ut ait Ecclesiastes, eius causa est Diabolus, homicida, & mendax, qui per peccatum coniecit totum genus humanum, in mortem, non modo corporis, sed etiam animae aeternam. Ante lapsum uero conferri homo, cum nulla creatura terrae potuit, praestantior erat omnibus creatis, post angelos, nempe, ad similitudinem Dei conditus. Nec erat necesse, hominem propterea mori, quod ex elementis constabat, cum animam uiuentem, a Deo inspiratam, haberet, neque omnia intereunt, quae elementaria sunt. Coeli substantia elementaris est, non tamen ob id corrumpitur, & interit, quippe cuius nulla pars ab exordio mundi huc usque interijt.

Matth. 6.

Esa. 40.

At (inquis) simplex est elementum, nulli contrariae qualitati subiectum, homo non item. Non durat propterea, quod simplex sit elementum, sed quia Deus firmavit opificium suum uerbo suo, ut inquit Dauid. Verbo Dei,

C

bo Dei,

bo Dei, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius; omnis uirtus eorum, ut infinita annorum milia perdurare possint, quemadmodum durauerunt iam, ultra quinque mille annos.

Scelus est, tribuere inanimatæ rei incorruptibilitatem, & in homine immortalitatem conditam pernegare, qui uitam, ab æterna mente, inspiratam habuit.

Peribit autem mundus, & in nihilum redigetur tota machina rerum, non propter materiæ debilitatem, sed maxime, propter uerbum, imperantis opificis. Infractum Dei opus, uerbo factum est, sine quo fieri, & conseruari non potuit, & eodem uerbo interibit, sine quo, interire non posset unquam. Verbo enim Dei stant, & corruunt omnia. Ita etiam moritur homo, ueritate omnipotentis uerbi, In quacumque die comederis, ex arbore scientiæ boni, & mali, morte morieris.

III.

Atque hæc ipsa lex, prohibens gustare fructus arboris scientiæ, firmum est testimonium immortalitatis inditæ. Quemadmodum enim uiolatio legis habebat comminationem æternæ mortis, ita obseruatio legis, habebat promissionem uitæ æternæ. Ea enim est natura legum, ut obedientiæ defensionem promittant, & transgressioni pœnam comminentur. Eratque uera legis sententia. Si mandato meo obtemperabis, uiues perpetuo, nec mori poteris unquam, Si uero legem transgressus fueris, morieris. Ut igitur legem uiolari non uoluit Deus, ita & hominem mori non uoluit. Et sicut, propter inobedientiam, morti subiectus est homo, ita per obedientiam uixisset perpetuo. Non enim in sanctos exercere suam tyrannidem Sathan, & mors potuissent, siquidem

siquidem mors est stipendium peccati, & non
sanctorum hominum, seu iusticiæ. Ideo eti-
am paradysum plantauit Deus, & arborem
uitæ, in medio horti collocauit, ut illius fru-
ctus comedentes reficerentur languefacti for-
te, temporis longinquitate, & paradysum di-
latari iussit, sanctos liberos ad imaginem Dei
procreari mandauit. Vnde igitur morituri
erant homines iusti, immortales conditi, in
paradysum collocati. Vbi sancta uoluptate
Dei, & creaturarum fruebantur, ubi arbores
uel solo aspectu animos exhilarabant, fructus
saluberrimi, tum odere, tum sapore, reficie-
bant, & confortabant, omniaq; admiranda
dulcedine, & uirtute uiuentis Dei respira-
bant, ubi arbor uitæ præstantia sua supera-
bat, non solum uniuersæ terræ fructus opti-
mos, sed etiam paradysi fructus, longe præ-
stantissimos, habens singularem, conseruan-
dæ uitæ, uirtutem, a uerbo Dei, quod illam
uocabat arborem uitæ, quemadmodum ser-
pens æneus, in deserto, habebat potestatem
sanandi, ictos a serpentibus.

Quapropter cum nulla omnino fuerit cau-
sa, uel in Deo, uel in natura hominis, uel in le-
ge, uel in arbore cognitionis, uel in ulla crea-
tura Dei, ut a morte opprimeretur homo, nisi
in Diabolo, qui homicida est, et pater menda-
cij, qui ex proprijs loquitur, & in ueritate non
stetit, qui per mendacium seduxit hominem,
manifestum est, hominem conditum esse, ut
sapientem, & iustum, ita & immortalem, in-
spiratum anima uiuente, destinatum ad spiri-
tualem uitam in cælis.

Atq; ita imago primorum hominum, seu
(quod idem est) imago Dei, in primis homini-
bus, fuit

bus, fuit excellens lumen rationis, & intellectus, agnoscens Deum, & uoluntatem ipsius, perspicuens essentias rerum, & naturas creaturarum. Item uera iusticia cordis, animæ, & omnium uirium, in quo arsit uerus amor, timor, & fiducia, erga Deum. Item, optimus consensus uoluntatis, obtemperantis iudicio rationis. Deinde inditum robur, & immortalis natura, seu anima uiuens, libera ab omni corporis infirmitate, angustia, laboribus, morbis, morte, destinata ad æternam uitam, in cœlis, quæ propagare genus humanum immortale, ad imaginem Dei, debebat.

Tam excellentem creaturam condidit Deus, quæ uere fuit similitudo, æternæ imaginis, filij Dei, Iesu Christi, qui expressa est imago, inconspicui Dei, æterni patris, in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis.

DE DESTRUCTIONE Imaginis, & corruptione humanæ naturæ.

Gene. 5.

Pœnitet me creasse homines.

Gene. 8.

Cogitatio cordis ipsorum ad malitiam prona est a pueritia.

Voluit æterna maiestas, Deus noster, ab hominibus glorificari, & amore, & obedientia coli, ideoq; ad imaginem suam eos creauit.

Vt

Vt autem, uera obedientia, coleretur, lege aliqua opus erat, in qua exercerent sancti homines, libera uoluntate, inditam sapientiam, & iusticiam, quod sine lege aliqua fieri non potuit.

Non autem opus habebant hoc mandato, Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde. Quod enim hæc lex præcipit, hoc ipsi natura faciebant, in sanctitate conditi, flagrabant amore Dei, nec poterant, non esse tales, quales erant creati. Verum illa indita, naturæ integritas, & iusticia, nondum erat legis obedientia, ex libera uoluntate profecta, quæ sola, in hominibus, Deo grata est.

Non autem est obedientia, ubi nulla lex est, sicut, econtra nec ulla transgressio est, ubi nulla lex est, nec est obedientia abstinere a facto, cuius committendi nulla est potestas, neque uoluptas. Sed hic gratus Deo cultus est, & accepta obedientia, obtemperare legi Dei, ad quam uiolandam, & natura, & occasio inuitant, trahuntque, ut Ioseph patriarcha uere præstitit Deo obedientiam, & acceptum cultum, optemperans legi diuinæ, Non committes adulterium, cum natura procliuis ad malum, & summa occasio, ad peccandum, cum Regina incitarêt. Vt igitur, ex uoluntate, promanaret deliberata, & spontanea obedientia, tulit Deus legem, sanctis hominibus, de interdictis fructibus, quæ seruatu facilis erat, & uiolatu haud difficilis, relinquens hominem, in manu consilij, et libertate arbitrij sui, in qua obedire Deo, aut transgredi legem Dei potuit, si recte uti, aut abuti, libertate sua uellet. Et iusta erat lex Dei, in qua auctor rerum exigebat timorem, & obsequium a crea-

tura, cum alloqui parere Deo cogantur omnia, quæ existunt, etiam inuiti ipsi Dæmones, & omnes impij, cum sempiterno suo malo, & condemnatione.

Sed deceptus homo, a serpente, libera sua uoluntate abusus est, &, cum obedire Deo posset, seruando legem, uolens sese auertit a Deo, & audiens Diabolo, comedit fructus uetitos, quos natura appetebat, occasio inuitabat, lex autem prohibebat attingere. Volens igitur peccauit, qui uolens, & libere Deum reuereri, & legem custodire poterat.

Quapropter incidit, in horrendam iram Dei, in miseram mentis tenebras, in iniusticiam, & mortem æternam, quam lex comminata erat. Peccati enim ueneno infectus, & perfusus, non poterat retinere imaginem impressam, Sapientiæ, iusticiæ, & uitæ. Ex sapientibus igitur cæci, stulti, & mendaces facti sunt, qui neq; Deum, neq; uoluntatem Dei amplius nosse potuerunt, ex iustis impij, maledicti, & homicidæ, qui neq; Deum, neq; proximum diligunt, sed oderunt, & persequuntur, deniq; ex immortalibus filijs Dei, facti mortales, filij Diaboli, & inferni, indigni amplius, qui paradysum uoluptatis inhabitarent.

Quare exacerbatu, iusta ira, Deus, expulit eos, ex paradiso, & uniuersæ terræ maledixit, doloribus acerbis, & laboribus duris. eos subiecit, Diabolo perpetuas, & implacabiles inimicitias indixit, ac peccatum, in ligno commissum, in ligno crucis rursus expiare, & delere promisit, in semine mulieris, & trans

transgressione tanta dignam mortem, indignissima, & immerita morte, filij sui dilectissimi destruere iurauit, ne penitus interiret uniuersa gens hominum.

Docet aperta historia, clamitat manifesta ueritas, testatur legis transgressio, peccatum, & promissio, mortem, non a Deo, sed a Diabolo, mendace, & homicida ortam esse, & ex peccato in omnes homines peruasisse. Vere immortales creauit, quos in mortem delapso, tanti redemit misericors Deus, dato, in mortem, filio unigenito, in quo solo, iudicium huius mundi fieri oportuit. Solus Sathan, & hominis peccatum, causam mortis præbuerunt, non Deus, qui uita æterna est, qui uitam dat hominibus, in quo omnia uiuunt, & mouentur.

Hanc deplorandam calamitatem, & destructionem humanæ naturæ, expertus, & confessus est statim Adam, postquam peccasset, tum in seipso, tum in filijs suis, & tota posteritate, fugit peccator, in paradiso, a uoce Dei, tremens, male sibi conscius, sentiens naturam peruersam, iram Dei, tetram mentis, & cordis permutationem, & prauitatem, repugnantem legi Dei, seu naturæ conditæ, odio habet Deum, quem antea dilexerat, toto pectore, anima, & uiribus.

Hic aperti sunt ipsius oculi, ut iussit Sathan, quibus uidit bonum, & malum, sed bonum in se non reperit amplius, illud uidit, quod Apostolus queritur Roma, 7. Ego carnalis sum, uenditus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod uolo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio. Si

autem quod nolo facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem non ego operor illud, sed habitans in me peccatum. Scio enim, quod non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum.

Nam uelle adiacet mihi, sed ut perficiam bonum, non inuenio. Non enim quod uolo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat, in me, peccatum. Inuenio igitur per legem, uolenti mihi facere bonum, quod malum mihi adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei, secundum internum hominem, Sed uideo aliam legem, in membris meis, rebellantem legi mentis meae, & captiuum reddentem me, legi peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?

Atque haec mala, non modo uidit Adam, sed etiam sustinuit horrendos irae Dei, & mortis aeternae pauores, & cruciatus, ac expertus est uim legis, de qua Paulus, lex est cognitio peccati. Lex iram operatur, peccatum, occasione accepta, per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Et hac acerbitate sensus irae Dei, peccati, & mortis, extincti subito perissent miseri peccatores, aeterna damnatione, nisi misericors Deus, misertus humanae calamitatis, ab aeternis arumnis, & poenis reuocasset, promissione Euangelij, iam submergentes, ad inferos, in sempiternam maledictionem. Sola haec promissio Dei seruauit eos, Semen mulieris conteret caput serpentis. Hac Euangelij concione rursus erexit Deus morientes,

entes, & gratis, ex misericordia, a morte,
summos peccatores liberavit.

Vidit postea magnitudinem peccati, &
fructus externos primi lapsus, in filiis, & om-
nibus posteris. Cain primus filiorum Adæ,
facto crudeli declaravit calamitatem corrup-
tæ hominum naturæ, crudelitatem peccati,
innatam mentis cœcitatem, & cordis diram
impietatem. Existimavit placari Deum, iu-
sticia operum, & dari vitam meritis, nesciens,
Deum uelle placari, per semen mulieris, Je-
sum Christum, fide apprehensum, uelle gratis
recipere, in gratiam, peccatores, quos ex gra-
tia sanctos creauerat, obtrudit Deo Sacrificia
sua, in hypocrisi, sine fide facta. At Deus
alius est peccatorum uindex, quam ab huma-
na ratione fingitur. In filio suo dilecto, pec-
catum expiare uoluit. Ergo in filio misere-
ri, & peccatoribus uitam donare gratis uoluit
ijs, qui nomine filij inuocant eum. Non (in-
quit, per Prophetam, in sacrificijs tuis, argu-
am te, holocausta tua) in conspectu meo sunt
semper. Non accipiam e domo tua uitulos,
neq; ex caulis tuis, hircos. Quoniam meæ
sunt omnes feræ sylvarum, pecudes in monti-
bus, ubi millenæ incedunt. Cognosco omnia
uolatilia montium, & quicquid animalium,
in campis agit, coram me est. Si esuriero, non
dicam tibi. Meus est enim orbis terre, & quic-
quid in ipso est. Nunquid manducabo car-
nem taurorum: aut sanguinem hircorum po-
tabo: Immola Deo sacrificium laudis, & red-
de altissimo uota tua, Et inuoca me, in die tri-
bulationis, & eripiam te, & honorificabis
me.

Deceptus igitur, sua sapientia, & iustitia

C. 5

Cain,

Psal. 49.

Cain, ruit in crudellora peccata, irascitur Deo, & fremit aduersus pium, & credentem promissioni fratrem Abel, nec audit admonentem Deum. Dixit enim Dominus ad eum. Quare iratus es? & quare concidit facies tua? Nonne, si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim peccatum tuum aderit in foribus. Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi.

Nequit hypocrita audire Deum, nequit ferre fratrem credentem Deo, persequitur, & occidit eum. Hic cernit Adam, ingenti cum dolore, in primo filio, naturam, omnium hominum, corruptissimam, quæ non imaginem Dei, sed Sathanæ mendacis, & homicidæ representat.

Gene. 6.

Deus tristissima uoce, & crudeli supplicio, testatur suæ creaturæ corruptionem, poenitet (inquit) me, fecisse me homines. Cogitatio cordis ipsorum ad malum prona est, a pueritia. Delebo omnem hominẽ, a facie terræ, quem creauĩ. Non poenitebat Deum creati hominis, qui bonus, & sanctus erat, sed corrupti, qui ruit ex peccato, in peccatum, in idolatriam, libidines, & omnem impietatem.

Gene. 7.

Vnde motus est Deus, delere totum orbem, diluuiõ, præter octo animas, quæ Deum timebant. Nihil huius euenisset, nisi imago, in hominibus, esset miserrime deformata, per horrendum lapsum, primorum hominum.

Post diluuium redijt mundus, ad pristinam impietatem, ut nulla pestis, nullus gladiõ, nullus ignis sufficeret puniendis hominum sceleribus, periit Sodoma, gomorrha, & reliquæ circum iacentes ciuitates.

Quid pluribus? Terra plena est, idololatrijs.

trijis, cruentis cœdibus, rapinis, fornicationibus, diris blasphemijs, parricidijs, proditi-
nibus, cœlum contremiscit, impletum clamo-
re effusi sanguinis sultorum, ab Abel, usq; ad
Zachariam, Prophetas, & Apostolos. Quos
enim Prophetas, quos electos Dei testes, &
confessores uerę fidei, uirgines, & femellas nõ
persecuta est morte omnium crudelissima, fu-
riosa mundi cæcitas? Nunquid potuerunt pa-
rentes abstinere sese, a mactandis liberis, cor-
repti furore potius, quam decepti falsa reli-
gionis opinione? Certe huc dementiæ adegit
Sathan, non solum gentes, sed summos etiam
reges, in ipso populo Dei, Acham, Manassem,
& cœteros. Sic fuit corrupta creatura, de-
stituta gubernatione Dei, ut crudelitate su-
peret sæuissimas feras, ut charos liberos, in
conspectu eiulantes, igne perdere, & horri-
biliter torrere, cultum Dei putet. Nec ipsi
filio Dei pepercit, furor humanus. Serui for-
mam assumpsit magnus ille Propheta filius
Dei, ut in forma hominis appræhenderetur
mundi redemptor, sicut promiserat Deus Is-
rahelitico populo, in monte Horeb Deute. 18.
Prophetam suscitabo eis, e medio fratrum
suorum, similem tui, & ponam uerba mea, in
ore eius, & loquetur ad eos, omnia, quæ præ-
cepero illi. Qui autem uerba illius, quæ lo-
quetur, in nomine meo, audire noluerit, eius
ego ultor existam.

Hunc uerum uite Dominum interfecerunt
Principes, in populo Dei, scribæ, & Pharisei,
tantum absuit, ut Deum suum agnoscerent,
atq; diligerent. Non referunt hæc similitudi-
nem Dei, In speculum in spiciens, uidet suæ
facies

faciei similitudinem, quæ & gestus hominis imitatur, & ipsas animi affectiones, quodam modo demonstrat. Cum autem homo sit speculum, & similitudo Dei, debebat representare in se, Deum, artificem suum. Sed nec Deus hominem, nec homo Deum representat. Conspicit Deus horribilem, in homine, deformitatem, mentem obtenebratam, cor deprauatum, odio habens, ac fugiens Deum. Despexit Dominus de coelo, super filios hominum, ut uideret, an esset aliquis intelligens, & requirens Deum. Vidit autem omnes auersos esse simul, & inutiles factos, non esse, qui faciat bonum, ne unum quidem, uidit in paradiso, turbatum esse speculum, & corruptam totam hominis naturam, per peccatum, a Diabolo.

Quapropter statuit renouare imaginem hominis, & omnia instaurare, destructis operibus Diaboli, per semen mulieris, filiū æternum, & corpus peccato obnoxium, & mortis subiectum, mortificare, atq; in puluerem redigere, ut nouum hominem, nouamq; in homine, effigiem effingeret, per semen mulieris. Puluis es (inquit) in puluerem reuerteris. Et sic oppressus est totus mundus, morte corporali, & æterna, propter peccatum, & amisam imaginem, & est factus homo omnium creaturarum miserrimus, uermis, & puluis, sua natura, filius peccati, iræ Dei, & mortis.

Gloria autem Deo misericordii, qui imaginem suam, filium æternum dedit, ut sit nobis sapientia, iusticia, resurrectio, & uita, Amen.

DE

DE RENOVATIONE Corruptæ imaginis.

Gene. 3.

I Nimicitias ponam inter te, & mulie-
rem, inter semen tuum, & semen mu-
lieris, & ipsum conteret capit tuum.

Ioan. 3.

Nisi quis renatus fuerit de super, non
intrabit in regnum coelorum.

Apparuit filius Dei, ut destrueret opera
Diaboli, & perditos homines, ab erroribus,
peccato, & morte liberaret, essetq; uerus il-
le pastor, qui ouem, in deserto, errantem, &
drachmam illam perditam, quæreret, nouo
accenso lumine. Homo est moneta Dei, in
quam impresserat creator imaginem suam.
Quia autem hanc destruxit Diabolus per pec-
catum, igitur recepit bonus, & fidelis archi-
tectus Deus hominem, refabricaturus opus
perditum, & effecturus nouum hominem,
nouamq; effigiem. Misit e coelis filium in
carnem, ut in eo iudicium mundi faceret, pec-
catum preciosissimo sanguine deleret, mortem
absorberet, infernum destrueret, & sempiter-
næ uitæ beatitudinem recuperaret, utq; per
Euangelium, & Sacramenta novos conderet,
ac regeneraret homines, ad æternam uitam,
in coelis, & in resurrectione mortuorum, noua,
integra, & absoluta imagine ornaret eos, ubi
in in

in integrum restituti, & clarificati fulgebunt electi, sicut stellæ cœli, conformes diuinæ naturæ.

Reparata est igitur hominibus promissa salus, semine mulieris, redempta uita æterna, per uictorem nostrum Iesum Christum.

Verum ea nullis contingit, nisi regeneratis, in hac uita, per Euangelium, qui illustrati uera agnitione Dei, amplectuntur gratiam, & iusticiam, in Christo oblatam, & in nouitate uitæ ambulant.

Hortatur igitur scriptura Prophetarum, & Apostolorum, ad poenitentiam, ut renouemur imagine, & induamur noua, & cœlesti sapientia, & iusticia, quæ est in Christo, ut regenerati liberemur, a morte, & recipiamur in uitam æternam.

Christus ait Ioan. 3. Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ergo nec in uitam illam æternam.

Fit autem regeneratio hominis in mente, & corde. Mente quidem, ut homo Deum agnoscat, in Christo Iesu crucifixo. Corde, ut eundem Deum uerum in Christo diligat, & ei confidat.

Paulus Roma. 12. Transformemini, per renouationem mentis uestræ, ut probetis, quæ sit uoluntas Dei.

Ephe. 4. Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui iuxta Deum est conditus, in iusticia, & sanctitate uera. Vetus homo, sunt omnes filij Adæ, con-

dam, concepti, & nati in peccatis, priuati in
Adam indita sapientia, agnoscente Deum, &
iusticia diligente Deum. Omnes igitur re-
nasci oportet, quotquot a morte liberari uo-
lunt, oportet in noua uita ambulare, in uera
scilicet agnitione Dei, & iusticia fidei. Mens
illustrari debet noua luce, ut uerum, ac æter-
num Deum agnoscat, & uoluntatem eius in-
telligat. Cor accendi debet noua uirtute spi-
ritus sancti, excitante fidem, ut Deum, quem
renouata mente agnoscit homo, uere etiam di-
ligat, metuat, & ei confidat, quod præstare,
sine præsentis auxilio spiritus sancti; nemo
potest.

Renascimur autem, & filij Dei efficimur,
non ex sanguinibus, non ex uoluntate carnis,
non ex uoluntate Viri, non traditionibus hu-
manis & excogitatis cultibus, sed mortui in
peccatis, renascimur, & uiuificamur ex Deo,
per omnipotens uerbum Dei, & uerum usum
Sacramentorum, & ex Deo nati, uere filij
Dei, & uitæ æternæ hæredes sumus. Ver-
bum autem Dei est, lex & Euangelium.

DE VSV LEGIS.

Lex non regenerat, nec uiuificat, sed
occidit, & regenerationi inseruit, ueluti
causa, sine qua regeneratio fieri non potest.
Nihil enim regeneratur, ac uiuificatur, nisi,
quod prius est mortificatum. Accusat
autem, & condemnat lex totum mundum,
indicat maledictionem, & mortem, idque
ut perterrefactos agnitione peccati, &
mortis,

mortis, compellat ad uerum medicum, qui est
Christus, iustificans peccatores, sua iusticia,
remissione peccatorum, imputatione iusticiae,
& uiuificans spiritu suo, infuso cordibus, per
Euangelium,

Principio enim opus est agnitione, nostri,
& miseriae nostrae, quam legis concio pate-
facit, opus est poenitentia, timere iram Dei,
odisse, & fugere peccata, & expauescere, ob
magnitudinem, & multitudinem peccato-
rum, quibus obnoxij sumus, & quae deliqui-
mus, ut Euangelium gratiae Dei, remissio pec-
catorum, & iusticia CHRISTI, fide accipi-
queat.

Nam, qui bene habent iustificantes se-
metipsos operibus, in hypocrissi, aut qui dele-
ctantur peccatis, & laetantur cum male fece-
rint, exultantes in rebus pessimis, illi non in-
digent medico, frustra illis praedicatur Euan-
gelium gratiae, & stulticia ipsis est summa
Dei sapientia. Sed contriti corde, & pau-
peres spiritu, laetum accipiunt Euangelij nun-
cium, scientes quod summa sit Dei sapientia,
ac potentia, ad salutem omni credenti.

Natura omnibus innascitur perniciosa
opinio, propriae iusticiae, & confidentia ope-
rum. Et est iustus coram mundo, qui uitam
inculpata[m] gerit, sed non iustificatus in hoc
coram Deo. Iustificatio uero peccatoris, que
fit, per fidem in Christum, toti mundo, & sa-
pientissimis quibusque ignota est. Hinc tot
in orbe terrarum sunt superstitiones, impiae
sectae, falsi cultus, idola, & perpetua discor-
dia impiae Ecclesiae, cum ueris ouibus Christi.
Hinc Nicodemus doctor legis, admiratur con-
cionem

tionem Christi, de regeneratione hominis, & iustificatione fidei, qua Deus pronunciat iustos gratis propter Christum. Ioan. 3. Quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Hinc pharisæus ille, Non sum sicut cæteri, iniusti, raptores, adulteri, ieiuno bis in sabba-
tho, decimas do omnium, quæ possideo, Hic iustificat seipsum, & seducit seipsum, externa legis iusticia, & perit æterna maledictione. Huic malo occurrit Deus, lata lege, qua confundit totum mundum, ostendit omnem humanam iusticiam esse meram immundiciem, indicat iram Dei, maledictionem, & perpetuam mortis pœnam, ut terrore percussus homo, deleat ex animo, falsam opinionem, propriæ iustificationis, & confidentiam meritorum, ut aliunde iusticiam, in mediatore Christo quærat.

Vt igitur humilientur corda superba, necesse est audiri tonitrua legis, in Ecclesia.

Hoc autem modo ostendit lex peccata, & condemnationem, reposcit non modo externa opera, & civilem iusticiam, nec tantum condemnat externa delicta, seu actualia peccata, sed requirit perfectam obedientiam interioris hominis, totius naturæ conditam integritatem, mentem fulgentem noticia Dei, & cor sanctum flagrans amore, & fiducia Dei, & condemnat immundiciem naturæ, defectum, seu carentiam inditæ sapientiæ, & iusticiæ, & concupiscentiam, & pravam inclinationem, omnibus innatam, propter quam & infantes in utero matris, maledicti, & mortis tyranni di sunt obnoxij, rei, filij iræ, & mortis, nati & concepti, in peccatis, donec Christo adferantur oratione fidelium, & eidem inferantur per baptismum.

D

Mors

Mors autem est peccati stipendium, Quare cum infantes, in utero etiam, extinguantur, necesse est, omnes, ex semine uirili natos, peccatores esse, & propter peccatum condemnatos.

Et sic reus est coram Deo omnis homo, licet insons, & iustus esse coram mundo uideatur. Lex enim Dei accusat corpus, & animam, & ipsa cordis cogitata, & condemnat hominem, æterna morte. Et ut ostendat lex hanc seueritatem Dei, doceatq; omnes natura peccatores, & condemnatos esse, igitur exigit integritatem illam conditæ naturæ, & condemnat ingens naturæ malum, inquitens. Non habebis Deos alienos coram me, hoc est, diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, tota anima, & omnibus uiribus, & proximum tuum, sicut te ipsum, Deut. 6.

Hic totum cor, & integrum hominem, sapientem, iustum, & sanctum, lex requirit, qualem Deus in principio creauit. Ideo inquit diliges Deum ex toto corde, anima, & uiribus. Hoc uero cor totum, hanc integram iusticiam incorrupti, & sancti hominis, nemo mortaliū habet. Cor enim humanum non est totum, horrenda destructio est, in corde, mente, & uoluntate, non est ea integritate, & sanctitate, qua erat creatum, sed fons est omnis malitiæ, incredulitatis, iniusticiæ, superbæ, blasphemæ. Sic Christus ait Marci. 7. Proficiscuntur ex corde, malæ cogitationes, adulteria, stupra, homicidia, furta, auaritiæ, fraudes, impudicitia, malus oculus, diffidentia, blasphemia, superbia, stulticia. Et, omnis cogitatio cordis, ad malum prona est, a puericia.

pueritia. Gene. 6. Nec est, qui faciat bonum,
qui requirat Deum, non est usq; ad unum.
Cum igitur homo non sit talis, qualis esse de-
bebat, ut est a Deo creatus, nec faciat, quæ
lex præcipit, nec omittat, quæ prohibet, pa-
lam fit ira Dei, de cælo, super omnem car-
nem. Maledictus omnis, qui non permanet
in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut
faciat ea.

Hæc uere sentiens homo, reuelata Mosi
facie, expauescit, humiliatur, contristatur,
occiditur, & manet, sub ira Dei, maledictus,
donec alio uerbo Dei, alia concione erigatur
rursum cor contritum, & humiliatum. Hac
litera legis, occisi sunt, & perierunt, Cain,
Saul, Iudas & cæteri, cum Euangelij promif-
sionem fide non apprehenderint. Fateri
enim cogitur homo uictus propria experien-
tia, quod cor non ardeat amore Dei, sed con-
temnat Deum, & cupiditate rerum huius
mundi magis flagret, quam cœlestium, quod
trahatur innata naturæ malitia, ad omnia,
quæ aduersantur legi DEI. Et hæc cogni-
tio peccati, & maledictionis parit dolores
conscientiæ, angustias cordis, efficitq; ut abun-
det delictum, & reuiuifcat peccatum, ut mo-
riatur homo interior, ingemiscat cum Apo-
stolo. Noui, quod non habitat in me, hoc est
in carne mea bonum. Nam, uelle adest mihi,
at, ut perficiam bonum, in me non reperio.
Non enim quod uolo, facio bonum, sed quod
nolo malum, hoc ago. Si quod nolo ego,
hoc facio, iam non ego perpetro illud, sed ha-
bitans, in me, peccatum. Video aliam le-
gem, in membris meis rebellantem legi mentis
meæ,

mex, & captiuum me reddentem, legi peccati,
quæ est in membris meis. Miser ego homo,
quis me eripiet, ex corpore morti obnoxio?
Tristis sermo est sancti Apostoli, quo declara-
tur magnitudo peccati, in omnibus homini-
bus, quæ tanta est, tantaq; crudelitate, in hoc
mundo exercetur, ut in hac uita satis perspi-
ci non possit, conspicietur autem in extremo
die, in quo illustrabuntur occulta tenebra-
rum, & patefient consilia cordium. Ita ne-
cesse est conturbari cor, in omnibus, ex agni-
tione malorum, necesse est concidere omnem
confidentiam, quæ ponitur, in humana sapi-
entia, & iusticia, necesse est concuti, & sauci-
ari cor, sibi conscium debiti, decem milium
talentorum, cum non habeat, unde persoluat
decem denarios.

In tali pauore peccati, sæpe luctatus cer-
nitur Dauid, ut cum clamaret. Infixæ sunt
sagittæ tuæ, carni mex, Cor meum conturba-
tum est, a facie iræ tuæ. Confirmatus est fu-
ror tuus, & omnes fluctus tuos, induxisti su-
per me. In me transierunt iræ tuæ, & terrores
tui conturbauerunt me. De hac efficacia le-
gis Paulus ad Roma. 7. Veniente mandato
peccatum reuixit, ego uero mortuus sum. Et
reperitum est mandatum, quod institutum
erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam,
peccatum, occasione accepta, per præceptum,
decepit me, & per illud occidit, &c. Quando-
cumq; enim lex, & natura concurrunt, & alte-
ra alteram recte intuetur, tum patefit pecca-
tum, quod contristatur, & occidit hominem,
ut uideat, quam longe absit a perfecta legis
obedientia, quam misere deprauatus, quam
cœcum sit iudicium, de iusticia legis, ut pec-
catum

catum pro iusticia, mortem pro uita duxerit, habueritq;. Cor contra seipsum fert sententiam æternæ damnationis, idq; non sine ingenti doloris acerbitate.

Et ita mortificatum hominem lex relinquit, ueluti perfunctâ satis officio suo, uitam nullam adfert, sed deserit uulneratum, & desperatum hominem. Talis autem conscientia recte præparata est, ad regenerationem, est calamus contritus, quem non confringet Deus, est cor humiliatum, quod non despiciet, si conuersus homo, ad Deum, Euangelij prædicationem amplectatur.

DE EVANGELIO.

Hic autem sola Euangelij annunciatio medicina est conturbatæ, & desperatæ conscientiæ, aduersus legem damnantem, aduersus iram Dei, & mortem æternam. Hæc ita concionatur. *Uuo ego, nolo mortem peccatoris, sed uolo, ut conuertatur, & uiuat. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam uos. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.*

Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Non enim misit filium suum, in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per Eum.

Longe dissimilima hæc prædicatio est concioni legis.

Lex enim uitam promittit ijs, qui perfecte eam implent, qui non reperiunt in se peccati quicquam, & minatur gehennam, omnibus, qui minimum præceptum transgrediuntur. Cum autem nemo inter mortales legem seruare integre, & puro pectore possit, igitur condemnat lex omnes homines æterna morte.

Euangelium uero promittit uitam peccatoribus gratis, propter mediatorem Christum, qui ex infinita misericordia sese legi subiecit, factus maledictum, propter peccata mundi, qui extincto peccato, & uicta morte, factus est impletio legis, ad iustificationem, omni credenti. Non sane exigit a nobis illam conditæ naturæ sanctitatem, & iusticiam non terret, ut lex diuina, non prædicat quid nos fecerimus, sed quid pro nobis fecerit Deus, offert gratiam, & iusticiam, & uitam, in Christo, filio Dei, qui nobis natus est, pro nobis mortuus, nobis datus, cum omni sua sapientia, iusticia, & uita.

Atque hanc, ineffabilis gratiæ diuinæ, promissionem, iuramento affirmat Deus, uiuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat.

Item Christus ait. Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

Præterea irreuocabili testamento, & sigillo obsignauit, & confirmauit hanc, gratiæ misericordiæ, promissionem, & salutem partam merito Christi, primo quidem immutabili,

mutabili, & æterno pacto baptismi, in quo baptizat ipse, & in gratiam recipit conceptos, & natos in peccatis, remittit delicta, & sanctificat spiritu suo sancto. Deinde uero sigillo corporis, & sanguinis Iesu CHRISTI, dati sub uero elemento panis, & uini.

Hic sanguis uerus, & corpus uerum Christi testificatur, & confirmat hanc immutabilem ueritatem, quod remissionem peccatorum, iusticiam, & uitam æternam accipiant omnes, qui credunt in nomine filij Dei, Ihesu Christi.

Hæc concio Euangelij confirmata iuramentis & obsignata preciosissimo sigillo corporis, & sanguinis Iesu Christi consolatur, & erigit corda contrita, & humiliata, per legem, tranquillos reddit animos, ministrat spiritum, qui corroborat fidem, & spem, excitat corda ad inuocationem Dei, parit dilectionem, & timorem Dei, & ita gubernatione spiritus sancti adiutus homo, indies crescit, in agnitione DEI, & fide. Et quia credit homo, non solum condonata esse peccata, sed etiam extincta, precioso sanguine, filij DEI, ideo Deum inuocat, in omni necessitate, compellans diuinam maiestatem, patrem suum, & filium Dei fratrem, & cohæredem uitæ æternæ, qua re nihil est maius, nihil præclarior, & confidentius. Hic silet lex, quæ antea accusabat, silent fulmina, quæ terrebant, cessat omnis tempestas, lucet serena dies, lux Euangelij, sol iusticiæ CHRISTUS, sapientia, iusti,

iusticia, resurrectio, & uita nostra, in corde regenerati hominis, nouus hic est homo, renatus ex Deo, per uerbum, & Sacramenta, noua est mens, nouus animus, noua uita, filius Dei, hæres celestis uitæ. Nam fides apprehendit Deum in Christo, & firmiter eum tenet, in quo omnia, quæ Christi sunt, simul habet. Deus econtra amplectitur credentem, & fideliter eum tenet, & conseruat, & tuetur contra potentiam, & insidias Diaboli, sicut ipse Christus ait. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & ipsæ me sequuntur, & ego uitam æternam do eis, & nunquam peribunt, & nemo mihi eripiet eas, e manu mea. Pater, qui mihi dedit eas, maior est omnibus, & nemo eripiet eas, e manu patris mei.

Ioan. 6. Quicquid dat mihi pater, ad me uenit, & quicquid ad me uenit, non eicio foras.

Hæc autem regeneratio, ad uitam æternam, non fit ex sanguine, & non ex uoluntate carnis, ut dictum est, supra, neq; ex speculationibus Anabaptistarum, qui contemnunt uerbum, & Sacramenta Christi, neq; ex traditionibus papistarum, qui sanctitatem simulant, uerbum, & doctrinam Christi oderrunt, persequuntur, & blasphemant, neq; ex operibus legis diuinæ, sed ex Deo spiritu sancto, per prædicationem Euangelij, & uerum usum Sacramentorum Christi, per quæ donatur spiritus regenerans, fides, spes, timor, dilectio, erga Deum.

Atq; hæc præcipua est uoluntas Dei, & summus cultus Dei, ut renati, ex spiritu sancto, per uerbum, & Sacramenta, apprehendamus,

✠
Præcipua
uoluntas
Dei, credere in
Christo
remissionem pec-
catorum.

hendamus, uera fiducia, Christum, & iustici-
am eius, credamus remissionem peccatorum,
& uitam æternam, & inuocemus, diligamus,
ac metuamus eum, & proximum charitate
afficiamus. Et hæc fides tam grata est Deo,
ut quicquid ex ea proficiscitur, iuxta præcep-
ta Dei, solum bonum opus, & acceptus cul-
tus Dei habeatur, & contra, quicquid non fit,
ex fide, peccatum sit, coram Deo, etsi per se
bonum opus sit.

Huius præcipuæ uoluntatis Dei, & præ-
cipui cultus, nescia est ratio humana. Ideo
contra mandatum ipsius, aut excogitat no-
uum genus colendi Deum, quærit nouam ar-
tem consequendæ salutis, deserens proposi-
tam, sibi salutem, & ueram uitæ uiam, aut
animum despondens, abiicit omnem spem, &
opinionem æternæ uitæ.

Docet quidem & hanc uoluntatem Dei,
& præcipuum cultum lex, in qua omnia præ-
cipiuntur, quæ facere, & omittere mortales
debent, idque cum promissione quidem æternæ
uitæ, si legem seruauerint, sed e contra, cum
comminatione æternæ mortis, si legi perfecte
non satisfecerint. Cum autem lex spiritua-
lis sit, & homo carnalis, uenditus sub pecca-
tum, & sensus carnis inimicitia aduersus De-
um, nemo itaque uoluntatem Dei, in lege præ-
ceptam, præstare, ac ne inchoare quidem su-
is uiribus potest. Quare subuenit Euange-
lium legi, & non modo docet, quæ sit uolun-
tas Dei præcipua, sed etiam præbet uitam in-
choandi, & faciendi eam. Lex mandat, ut
diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde,
utque timeas eum, & confidas ei.

Dilectio enim fidem, & timorem in se

D 5

com

compræhendit, & fides erga Deum, parit dilectionem, & timorem ubi non est fides, ibi non est dilectio. Ego autem, quo Deum diligam, in me non reperio, inimica est caro mea Deo, repugnans legi Dei, sentiens iram eius, aduersus peccata, & condemnationem.

Quapropter necesse est aliunde dari, quo Deum diligam, necesse est, nouam uirtutem, spiritus sancti donari, atq; infundi, quæ cor exuscitet, ad ueram dilectionem. Spiritus autem sanctus infunditur cordi, per Euangelium, qui deinde fidem, dilectionem, timorem Dei, & charitatem erga proximum excitat. Fides enim, quæ remissionem peccatorum, iusticiam, & uitam impetrat, a Christo Domino nostro, dilectionem & timorem parit, erga Deum, facitq; ut incepta tantum obedientia, Deo placeat, haud secus ac si perfecte lex impleta esset. Et sic stabilitur lex, & fit uoluntas Dei, per fidem, dum CHRISTUS sit perfectio legis, ad iustificationem omni credenti.

Cum ergo fides in Christum, tribuat soli Deo misericordiam gloriam, & iusticiam, nobis autem confusionem faciat, accipiat remissionem peccatorum, induat cœlestem, filij Dei, iusticiam, qua sola placatur Deus, sit principium, & fons bonorum operum, efficiatq; ut placeat Deo imperfecta, & inchoata tantum legis obedientia, uere est, fides præcipua uoluntas Dei, & omnium gratissim⁹ cultus, sicut palam inquit Christus.

Ioan. 6. Hæc est uoluntas eius, qui misit me patris, ut omnis, qui uidet filium, & credit

credit in eum, habeat uitam æternam, & ego
fufcitabo eum in nouiffimo die.

1. Ioan. 3. Hoc est mandatum Dei, ut cre-
damus, in nomine filij eius, Iefu Chrifti, & di-
ligamus nos inuicem.

Admiretur hanc immutabilem Dei uo-
luntatem totus terrarum orbis, & appra-
hendat hanc infinitam DEI uoluntatem, &
mifericordiam, quæ est, ut fiducia filij Dei,
Iefu Chrifti, referamus nos in numerum fili-
orum eius. Ne angaris afflicta anima, ne
desperes ob peccata, adeo cupidus, & fitiens
est mifericors Deus tuæ salutis, ut relictis alijs
operibus legis, imprimis, & feuerè mandet,
te credere firmiter remiffionem peccatorum,
& expectare uitam æternam, in redemptore,
Iefu Chrifto, utq; solum condemnatos pro-
nunciet eos, qui in filium non credunt. Hæc
est condemnatio, quod lux uenit in mundum,
& dilexerunt homines tenebras magis, quam
lucem. Ioan. 3.

Spiritus mendax, & malignus est, qui iu-
bet, aut suggerit tibi, ut dubites de gratia,
& mifericordia Dei, de certa remiffione pec-
catorum, & uita æterna.

Dubitent, desperent aduersarij uerita-
tis, qui idola amant, coluntq; & traditioni-
bus humanis confidunt, te cogit ueritas di-
uina, certo credere remiffionem peccato-
rum, quam iurat tibi promiffio diuina, ne
mendacem facias Deum, ne pereas perpe-
tuo durante pœna, deferens oblatam tibi sa-
lutem. Non delectatur Deus sacrificijs tu-
is, non hypocritarum sanctitate, nec reijcit
quenquam, propter peccata, si pœnitentiam
egerit.

egerit, sed eo delectatur, & placatur, si inuo-
ces nomen eius, in tribulatione, uera fide, &
exauditus glorifices nomen eius, sicut man-
dat Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis
tuæ, & eripiam te, & honorificabis me. Re-
ijcit autem, & in condemnatione relinquit
eos, qui non obtemperant Euangelio, sed re-
spuunt redemptam sanguine Christi salutem,
& uitam. Qui autem facit uoluntatem Do-
mini, manet in æternum, 1. Ioan. 2.

**Fides sola
iustificat
sine ope-
ribus le-
gis.**

Vt autem purus sit hic cultus Dei, quo
uera fiducia ipsum inuocamus, utq; certa sit
promissio, ideo gratis, ex misericordia, iurat
nobis Deus iusticiam, & uitam, sine operi-
bus legis, excludens a iustificatione omnem
humanam iusticiam, & sapientiam, & eam
gratuito oblatam iusticiam, sola fide uult
accipi.

Roma. 3. Omnes peccauerunt, & carent
gloria Dei, iustificantur autem gratis, ipsius
gratia, per redemptionem, in Christo Iesu,
quem proposuit Deus, propitiatorem, per fi-
dem, in sanguine ipsius.

Ephe. 2. Gratia estis seruati, per fidem,
idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex ope-
ribus, ne quis gloriatur.

Ephe. 1. Elegit nos Deus, in Christo, an-
tequam iacerentur fundamenta mundi, ut es-
semus sancti. Non est noua, & nuper exco-
gitata doctrina Euangelij, quæ tradit, gratis
iustificari peccatores, a Deo, per fidem in
Christum, cum uetustior sit ipso mundo, nec
operibus nostris uitam meremur, quandoqui-
dem, ante constitutionem mundi, nihil ope-
rum fecimus, neq; fuimus. Tunc autem fili-
os sibi

os sibi elegit Deus, in filio unigenito, ex misericordia. Quare gratis donata iustificatio, uera fiducia, in Christum, accipienda est.

Etsi autem gratis iustificat fides peccatorem, absque dignitate operum, non tamen existit nuda, sine operibus legis, sed est tanquam oliua, plantata, ad riuos aquarum, quæ fructus suos profert tempore suo. Credens Euangelio, & expectans uitam æternam, in Christo, sua sponte, opera fidei, & charitatis facit, quæ in decalogo præcipiuntur. Nec potest arbor bona fructus malos facere. Non contemnit Deum non blasphematur, non persequitur uerbum regeneratus, & credens Euangelio, non odit, non lædit proximum, non deserit pauperem, non affligit afflictum, sed miseretur eius, & iuuat eum ueritate, & opere. Sed hæc omnia piorum opera excluduntur a iustificatione, & separantur a fide iustificante, tanquam fructus boni, ab arbore bona, quam necesse est antea bonam esse, quam bonos fructus ferat.

Et sunt bona, & accepta Deo credentium opera, quia a iustificato iam per fidem, uelut ex arbore bona, proueniunt, mouente spiritu sancto in corde. Quæ uero sine fide fiunt, opinione promerendæ iusticiæ, & uitæ, ex arbore mala proueniunt. Itaque neque opus, neque operarius Deo probantur, etiamsi dæmonia eiciat, in nomine Domini prophetet, & multas uirtutes faciat, sicut illi. Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus? & dæmones eiecimus? & uirtutes multas fecimus? Quibus respondet Christus, discedite a me operarii iniquitatis, Nunquam noui uos. Oues meas noui,

Fides iustificans non est sine bonis operibus, etsi sine operibus iustificet.

as noui, quæ uocem meam audiunt, & me sequuntur, & ipsæ me nouerunt, & alium non sequuntur. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, qui ædificat domum suam, supra petram, quæ est Christus. Hæc est uoluntas eius, qui misit me patris, ut omnis, qui uidet filium, credat in eum, & habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Qui igitur fide reconciliatus Deo non est, Deo placere nequaquam potest, neque opera eius bona esse possunt. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est, ut inquit Apostolus Paulus. Quo modo igitur peccatum iustificabit peccatorem? Cum peccata delere peccata nequeant,

Neque etiam bona credentium opera iustum reddere uel alium, uel ipsum factorem possunt. Nam iustus quisque sua fide uiuet, inquit Propheta, & non aliena uel fide, uel iusticia. Deinde uere bona opera (quæ sunt credentium) effectus, & signa sunt iam iustificationum a Deo, per fidem, in Christum, tanquam fructus bonus, est certum indicium arboris bonæ.

Porro quod toties repetit, & inculcat Apostolus, fidem gratis iustificare absque operibus legis, id aliud non est, quam quod idem ait. Rom. 8. Deus est, qui iustificat, quis est, qui condemnet? Christus mortuus est, & resuscitatus, & intercedit pro nobis. Idem est, quod per Prophetam Esaiam dicitur, Seruus meus iustificabit multos, & iniquitates eorum ipsi portabit. Christus enim serui for-

ul forma assumpta, solus est factus uictima,
pro redemptione humani generis.

Ergo solus uult, & solus potest iustificare
peccatorem gratis, ex misericordia, remissi-
one peccatorum, imputatione iusticiæ, & san-
ctificatione, ac donatione spiritus sancti, si-
cut iustificauit, & sanctificauit latronem, in
cruce, petrum, publicanum, & omnes san-
ctos.

Soli sibi hanc gloriam uult dari, nobis au-
tem confusionem faciei. Quia solus est effe-
ctor nostræ salutis, & uitæ, nec est aliud no-
men, sub sole datum, inter homines, in quo
oporteat saluos fieri peccatores.

Quia autem hanc iusticiam, & uitam a
iustificante Deo accipit sola fides seu fiducia
in CHRISTUM, alia enim ratione appræhendi
iustificatio non potest, ideo recte dicitur, fide
iustificari peccatores, absq; operibus legis.

Atroci igitur blasphemia afficiunt Deum
hostes sanguinis Christi, pernegantes fidem
iustificare peccatores. Eo enim modo ne-
gant Deum iustificare, qui iustus, & ipsa iu-
sticia, & iustificatio est. Non fidei, sed Chri-
sti iusticiam negant, quam fides appræhen-
dit, negant Christum in carnem uenisse, aut
frustra uenisse affirmant, incertam nobis fa-
ciunt Euangelij promissionem, de gratuita
remissione peccatorum, & uita æterna.

Ideo autem ex fide iustificatio promit-
titur, sine meritis operum nostrorum, ut
firma sit promissio DEI, & salus nostra.
Mendacem faciunt DEVM, iurantem
nobis

nobis perfectam, & gratuitam iustificatio-
nem, propter mortem, & uictoriam media-
toris nostri, Iesu Christi. Conuicia iaciunt
in spiritum sanctum, qui locutus est in Pro-
phetis, & Apostolis. Omnes enim Prophe-
tæ, Christo testimonia ferunt, quod remissi-
onem peccatorum accepturus sit, per nomen
eius, quisquis crediderit in eum. Acto. 10. Ne-
gant symboli Apostolici, Niceni, & Athana-
sij articulum. Credo remissionem peccato-
rum. Negant precationem orationis domi-
nicæ. Remitte pater nobis debita nostra.
Homines sunt sine Deo, indigni, quibus aliud
respondeatur, quam illud Apostoli. 2. Ioan.
Omnis, qui transgreditur, & non manet in
doctrina Christi, Deum non habet. Qui ma-
net in doctrina Christi, hic & patrem, & fi-
lium habet. Si quis uenit ad uos, & hanc
doctrinam secum non adfert, ne recipiatis
eum in domum, nec aue ei dixeritis.

Statuit Deus ante exordium mundi ad-
optare sibi filios, in filio unigenito, absq; ullo
hominum merito, ideoq; ad imaginem suam
eos creauit, sine ipsorum meritis. Et quan-
quam peccauerunt, auersi a Deo ad Diabo-
lum, per insidias serpentis, permansit tamen
uoluntas Dei immutabilis, adeo ut per mor-
tem filij sui dilecti, peccatores miseros, a pec-
cato, morte, & iudicio Dei redimere malue-
rit, quam permittere, ut penitus interiret uni-
uersa gens hominum.

An uero non potest Deus iustificare pec-
catores, qui iustus, & sanctus, & potens est?
qui sua iusticia extinxit peccatum, absorpsit
mortem, destruxit infernum, conculcauit Sa-
thanam,

thanam, triumphans aduersus omnes hostes suos, ubi mors aculeus tuus? ubi inferne uictoria tua? Absorpta mors est in uictoriam. Gratia sit Deo, & honor, qui nobis uictoriam dedit, per Dominum nostrum Iesum Christum.

An uero non uult? qui seuerè mandat, ut in ipsum credamus, & uera cordis fiducia remissionem peccatorum accipiamus, qui ob id de cœlis in carnem descendit, mortemq; pertulit uolens, ex summa amoris abundantia, ut peccatores liberaret, a peccato, & morte, emundatos precioso sanguine suo.

Iustus, & fidelis est Deus, ut remittat nobis peccata, & emundet ab omni iniquitate. Copiosa est apud Deum redemptio. Quis uoluntati eius resistet? nisi incredulus, & idolatra, repugnans Deo, & spiritui sancto, loquenti in Prophetis, & Apostolis, mendacem faciens Deum, in promissione, & iuramentis.

Lex uetus mandabat, populum aspergi sanguine uictimæ, & sine sanguine non fiebat remissio. Hęc figura Christi fuerunt, qui uerus est agnus, & uera simul uictima, immolatus propter peccata mundi, cuius sanguine conspergi & mundari, & tinctos accedere ad thronum gratiæ Dei, oportet peccatores, quod fit, cum uera fide, apprehenditur Christus, qui & uerus est agnus, et uerus simul pontifex, intercedens pro credentibus, a dextera Dei patris, quemadmodum interpellauit pro discipulis. Sancte pater serua eos, per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Sanctifica eos per ueritatem. Sermo tuus est ueritas. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego

Heb. 9.

E

ego

ego mitto eos, in mundum, & pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati, per ueritatem. Non pro eis ego rogo tantum, sed & pro his, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi unum sint in nobis, & credat mundus, quod tu me misisti. Ioan. 17.

Solus hic est mediator inter Deum, & hominem, plenus, & perfectus redemptor, & author salutis nostræ, non aliorum ope, non iusticia, non merito indiget.

Christus iam subiturus mortem sentiens molem peccati, & uehementem iram Dei, pauores acerbissimos mortis, & inferni, ardentissime orauit, ut, si fieri id posset, auferretur ab eo calix. Pater (inquit) si possibile est, aufer a me calicem hunc, attamen non mea, sed tua fiat uoluntas. Deus æterna potestas est, omnia potest, omnia facit, quæ uult in cælo, & in terra. Potuit igitur cauere, ne mactaretur filius suus dilectissimus. Sed genus humanum redimi ab æterna maledictione non potuit, nisi sola morte Christi. Iuste enim reuocare iudicium suum, & sententiam pronunciatam in paradiso non potuit iustus uindex. Vindicari tali pœna peccatum oportuit. Quod si in hominibus uindicasset peccatum, perisset æterna morte, uniuersus mundus.

Sed perire omnes mortales, misericors, patiens, & iustus Deus, non uoluit, nec tamen liberare, & seruare mundum, alia uia, potuit, nisi morte Christi. Quapropter statutum est a Deo, ut pateretur filius, essetque solus uictima pro pec

pro peccatis mundi, solus mediator, & sacerdos in æternum, inter Deum, & hominem, solus impletio legis, solus sapientia, iusticia, & uita omnibus, qui sola fiducia, ab ipso solo pendent. Hæc declarat, & testatur Christus, sudans sanguinem præ horrore iudicij, iræ Dei, & inferni, palam ostendens, solo suo sanguine redimi posse mundum. Si alio nomine, alijs aduocatis, & patronis, alijs operibus, & meritis liberari, a peccato pouisset mortale hominum genus, calicem istum non bibisset filius Dei. Hanc ueritatem sudore, & sanguine sanctissimo confirmatam, pernegant hostes Euangelij, & sanguinis Iesu Christi, dum insufficientur, fidem, in Christum, iustificare peccatorem, coram D E O, absq; meritis hominum.

Manet autem inuicta ueritas, aduersus portas inferorum solo sanguine Christi, per solam fidem mundari, & iustificari peccatores gratis, ex sola gratia Dei.

Ve mundo blasphemio, Ve antichristis, papistis, qui tam apertæ ueritati, in tenebris lucenti, & resplendenti, sine fine, & modo repugnant.

Cæterum hæc fides iustificans peccatorem, non est opus humanum, neq; noticia tantum historiae, sed præclarum Dei donum, & egregium opus spiritus sancti. Est enim certa fiducia cordis, erga Deum, contra omnem sensum carnis, & iudicium humanæ rationis, apprehendens gratiam, & iusticiam Dei, in Christo crucifixo, credens remissionem peccatorem, & expectans uitam æternam, cum patientia, luctans contra mundum, & Sathanam,

contra angustiam animi, & desperationem, & ignita diaboli tela, que ita oppugnatur aliquando, & debilitatur malis, ut cum Propheeta clamitare, in sanctissimis hominibus, cogatur. Repleta est malis anima mea, uira mea inferno appropinquauit. Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Quare oblitus es mei? quare contristatus incedo? dum me affligit inimicus meus, dum confringuntur ossa mea, exprobrant mihi inimici mei, dum dicunt mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

In tantis procellis, & animæ per turbationibus persistere, & superare mala sperando, non est humanarum uirium. Deus est, qui fidem donat, & sustentat. Ideo ait Christus Lucae 22. Simon petre expetiuit uos Sathan, cribrare sicut triticum, sed ego rogavi patrem, ne deficiat fides tua. Et Dauid orat Psal, 50. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innoua in uisceribus meis, ne proicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Miserrimi creaturarum sumus, si destituamur gubernatione diuina, spiritu, & fide. Dominus huius mundi Sathan, sæuius rugiente leone, circuit, quærens quem deuoret, coniciatque ex peccato, in aliud peccatum, & in infinita scelera, in blasphemias, desperationem, & mortem. Inde fit, quod, sæpe sibi ipsis, homines excruciat, angustia, & multis miseris, manus inferant, & mortem sibi consciscant. Caro, & sanguis sumus.

Nequimus igitur tam potenti spiritui, in
acre

aere uolitantī, & corda prementi resistere, si-
ne præsenti auxilio, & defensione Dei nostri,
& redemptoris Iesu Christi, qui spiritu suo fi-
dem, & spem in nobis corroborat, corda so-
latur, & erigit, aduersus insidias Diaboli.

Quomodo consistent aduersus tantum
hostem Antichristi, aduersarij Dei, persecu-
tores fidei, & conuiciatores spiritus sancti?
qui opera carnis, & misellam mundi iusticiam
anteponunt fidei, deum apprehendenti. Non
ualebunt quicquam aduersus potentiam illi-
us. Optime nos monet sanctissimus Apосто-
lus, Ephe. 6. Fratres estote fortes, in Domino,
& in potentia uirtutis sue. Induite armatu-
ram Dei, ut persistere possitis, aduersus astu-
tos insultus Diaboli. Non enim est nobis
pugna, cum carne, & sanguine, sed cum prin-
cipibus, & Dominis huius mundi, malis spiri-
tibus. State igitur circumcincti ueritate, &c.
Et ante omnia apprehendite clypeum fidei
(fidei inquit) ut possitis extinguere ignita
Diaboli tela.

Contemnant, persequantur, blasphement
doctrinam fidei, hostes ueræ salutis, quam diu
uelint, possintq; experientur sane, æterno suo
malo, quem contempserint, & blphemarint.
Nos uero, qui uere credimus, confiteamur, &
magni faciamus fidem nostram, tanquam
summum Dei donum, & egregium opus spi-
ritus sancti, quo Deum, cum omnibus suis bo-
nis apprehendimus, & ipso iuuante, hostes
uincimus, & oremus, ut in nobis crescat fides,
& agnitio Dei.

Tum nihil nobis deerit, habebimus re-
missionem peccatorum, iusticiam CHRISTI.

Sapientiam spirituales, consolationem, pacem, gaudium, spem, patientiam, & uitam sempiternam.

Has tantas res donat nobis Euangelium, quæ aliud non sunt, quam ipsa regeneratio, & renouatio mentis, & cordis nostri, seu perditæ, imaginis, & fructus, & dona regenerationis.

Atque in hac regeneratione, in agnitione Dei, fidei & cæteris oportet nos assidue crescere, dum in hac uita sumus.

In extremo autem die resuscitati, perfectius, & absolutius renouabimur, & recreabimur, quando clarificati florebitur, sapientia, & agnitione Dei eximia, iusticia, & sanctitate præstanti, in gloria, & potentia immortalis, incorruptibili, tanquam ueri filij Dei, hæredes æterni regni, conformes diuinæ naturæ. Quemadmodum igitur peccatum, est causa mortis, ita mors, & resurrectio Christi, est causa uitæ æternæ, ihs, qui ex Deo nati sunt. Si enim (ut inquit Apostolus Ro. 5.) per unius delictum propagatum est malum, in omnes homines, ad condemnationem, ita & per unius iustificationem, propagatur bonum, in omnes homines, ad iustificationem uitæ.

Item 1. Corinth. 15. Quemadmodum per Adam omnes morimur, ita per Christum omnes uiuificabuntur.

Primum itaque, quod ad regenerandum hominem pertinet, & ad instaurandam imaginem Dei spectat, est agnitio nostri nempe peccati, maledictionis, mortis, & inferni, quibus oppressi sumus, id quod lex patefacit.

Deinde

Deinde opus est, ad regenerationem, & consequendam æternæ uitæ, salutem, agnitione promissionis, & gratiæ diuinæ, ac uoluntatis ipsius, quod propter sanctissimam uictimam, filium suum Iesum Christum, propitius esse omnibus uelit, qui promissioni credunt, quod uelit peccata remittere, & iusticia sua ornare fideles, ac uelut diuino pallio indutos, & sanctificatos cohonestare, quodque uelit uera fiducia, dilectione, & timore coli, a renatis, & damnare eos, qui in ipsum non crediderunt.

Hæc docet Euangelion, per quod infunditur spiritus sanctus, regenerans mentem, & cor nostrum, ad cœlestem uitam.

Tertio opus est renascenti, & speranti æternam uitam, uera agnitione Dei, eaque in renato existit, & est præcipua pars regenerationis, de qua paucis postea.

DE AGNITIONE DEI Renouata per Euangelium Christi.

Porro pernecessaria est ad regenerationem, & consequendam æternæ uitæ beatitudinem, uera agnitione Dei, eaque in regenerato existit, & tam necessaria pars est regenerationis, ut sine illa, nemo promissam salutem, & uitam consequi possit. Deus enim ignorantes se ignorabit, & contemnentem contemnet.

Esse autem Deum testantur, cum omnes creaturæ, quæ per se, & a se non extiterunt, neque per se conseruantur, tum ipsa ueritas Deus, Dominus exercituum, de cœlo, cum maiestate, loquens, timentibus creaturis.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te, de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos, coram me. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, uisitans iniquitatem patrum, in filios, in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam, in milia his, qui diligunt me, & custodiunt praecepta mea.

Atque hic Deus unus est. Deute. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est.

Esa. 44. Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemptor eius, Dominus exercituum, ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus.

Cæterum creauit hic Deus unus coelum, & terram, & omnia, sed non sine uerbo, & spiritu. Dixit enim fiat lux, & facta est.

Is qui creauit omnia, dixitque fiat lux, Deus est. Et uerbum, quo creauit omnia, certe Deus est, persona separata ab eo, qui dixit, nempe filius Dei, ab æterno, a patre uere genitus. Quod enim creatura non est, & tamen existit, id Deum esse necesse est, cum inter creaturam, & creatorem nullum sit medium.

Quicquid enim substantialiter existit, id aut Deum esse, aut creaturam esse oportet. Verbum, quo Deus creauit omnia, non est creatura. Quia existit apud Deum, in principio rerum, ante omnem creationem, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Ioan. 1.

Omnia per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum existunt. Col. 1.

Ergo uerbum est natura Deus, effigies substantiæ diuinæ, ferens omnia uerbo potentia sua,

tia suæ, est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ DEI inconspicui. Hebræi. 1. Colof. 1.

Et spiritus Domini similiter Deus est, tertia persona diuinitatis, quod expressis uerbis ibidem indicat Moses, inquiens. Et spiritus Dei ferebatur super aquas.

Quid est spiritus Dei? nisi spiritualis essentia Dei, Deus ipse, uirtus Dei, a patre, & filio procedens, cum patre, & filio omnia creans, fouens, & uiuificans, & in patre, & filio ab æterno, in æternum permanens.

Consultauit Deus de effingendo homine, faciamus nobis hominem ad imaginem nostram.

Deliberat hic æterna trinitas. Tres personæ diuinitatis discernuntur. Vnus Deus ostenditur. Ideo statim subdit Moses. Et fecit Deus hominem, ad imaginem suam, non ad imaginem plurium Deorum, nec Angelorum, qui non sunt creatores, sed ad suam solius imaginem fecit eum, masculum, & foeminam, qui ante dixerat faciamus.

Eundem uerum Deum, iisdem fere uerbis ostendit propheta, rex David. Psal. 32.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis uirtus eorum. Dominus, & uerbum Domini, & spiritus Domini, tres sunt personæ, in una indiuidua essentia Dei. Dominus, qui dixit, pater est. Verbum Domini, filius patris, æternus Dominus, ad quem dicit pater. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus, ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principatus, in die uirtutis tuæ, in

E 5

splendori

splendoribus sanctorum tuorum, ex utero ante
te Iuesferum genui te.

Et Psalmo, 2. Testificatur Dominus fili-
us, de Domino patre. Ego constitutus sum
rex, ab eo, super Sion montem sanctum eius,
prædicans præceptum eius. Dixit Dominus
ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.
Postula a me, & dabo tibi gentes, hæredita-
tem tuam, & possessionem tuam, terminos
terre.

Et spiritus Domini, quo De⁹ creauit om-
nia, Dominus Deus est, quia creator est cœli,
& terre, cum patre, & filio.

Quamquam autem tres sunt personæ in di-
uinitate, rationi incompræhensibiles, non ta-
men, tres Domini sunt, non tres creatores, sed
tres personæ, seu hypostases, & unus Domi-
nus, unus Deus, unus creator omnium, una in-
diuisa essentia. Et cum una sit essentia indi-
uisa trium personarum, actiones diuinitatis
in creaturis etiam communes sunt tribus per-
sonis. Non est pater ullius rei creator, cuius
non sit & filius, & spiritus sanctus effector.
Ut enim discrimen personarum confundi non
debet, ita unitas essentiæ trium personarum
separari quoque non debet.

Separatur autem unitas essentiæ diuinæ,
quando tribuitur uni personæ, opus aliquod,
in creaturis, quod alijs personis detrahatur, seu
quod ab alijs personis factum negatur. Ut, si
credas Deum patrem te creasse, & non credas
filium, & spiritum sanctum te quoque una cum
patre condidisse, tres Deos constituisti, unam
DEI essentiam secuisti, quia tribus personis
unum existentibus, idem opus commune ne-
gasti, quod est implium.

Hinc

Hinc traditur regula Augustini, opera Trinitatis ad extra esse indiuisa. Non enim hoc opus illi personæ tantum, illud opus alteri personæ diuisim tribuitur, sed omnia opera tribus personis, tanquam uni Deo indiuisibili attribuuntur.

Pater igitur creauit cœlum, terram, & omnia, & filius creauit cœlum, & terram, & omnia, & spiritus sanctus fecit hæc omnia: Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Christus ait Ioan. 5. Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor. Amen dico uobis, non potest filius, a se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem. Quæcumq; enim ille facit, hæc itidem & filius facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei opera, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim pater suscitatur mortuos, & uiuificat, sic et filius, quos uult uiuificare. Neq; enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem.

Ita filius redemit mundum, non autem solus filius, sed & pater, & spiritus sanctus, licet filius tantum assumpserit humanam carnem, non pater, nec spiritus. Ita spiritus uiuificat, consolatur, sanctificat, & in omnem ueritatem ducit, sed non solus, imo & pater, & filius, cum pater, filius, & spiritus una, eademq; sit essentia indiuisa. Atq; hoc modo tam filius, & spiritus sanctus mihi, & tibi, pater est, quam est prima persona. Nam, omnia opera, diuinitatis, in creaturis, communia sunt tribus personis, ueluti uni, & indiuiso creatori.

Sed

Sed ultra, supraque creaturam, in ipsa in-
scrutabili maiestate, diuinæ naturæ, aliter se-
res habet. Ibi enim actiones Dei sunt diuise.
Pater ab æterno genuit filium, Id solius est
patris, filius non genuit, sed est genitus, pater
inquit, filius meus es tu, Ego hodie genui te.
Et spiritus sanctus non genuit, ut pater, nec est
genitus, ut filius, sed a patre, & filio procedit,
& in patre, & filio perpetuo permanet, & hoc
solius est spiritus sancti. Pater enim & filius
non procedit a spiritu, nec habet diuinitatem
ab eo, sed spiritus habet diuinitatem ab utra-
que persona.

Omnino itaque discernuntur tres personæ,
cum pater non sit filius, nec habeat essentiam
a filio, nec filius sit pater, sed a patre genitus
essentiam suam, ab eo, ab æterno acceperit,
cuius est expressa imago, & splendor gloriæ
nec spiritus sanctus sit pater, nec filius, sed a
patre, & filio procedat.

In baptismo Christi, uox patris, de cælo
sonans, trinitatem personarum manifeste com-
probat. Alia enim est persona, quæ loqui-
tur, alia ad quam fit sermo, hic est filius meus
dilectus, in quo delector, hunc audite, alia,
quæ in specie columbæ, super filium Dei ap-
paret. Columba autem creatura Dei est,
quam non solum spiritus, sed etiam pater, &
filius creauit, at tamen spiritus sanctus, in ea
specie, de cælis descendens, apparuit, non pa-
ter, qui ex aperto cælo loquebatur, nec filius,
qui in humana carne, in Iordane baptizatus
astitit.

Unus itaque est Deus, tres autem sunt in
una indiuisa essentia personæ, & hypostases,
pariter æquales gloria, sapientia, iusticia, po-
tentia,

tentia, æternitate, & uirtute, pater æternus
Deus, non genitus, filius æternus Deus, a pa-
tre ante secula genitus, spiritus sanctus, non
genitus, sed a patre, & filio procedens, & in
patre, & filio permanens.

Qui igitur unam personam diuinitatis
uere habet, is tres personas simul habet, & qui
tres personas diuinitatis credit, is unum De-
um confitetur, & habet. Sed nemo Deum
habet, nisi, qui credit in filium, per filium so-
lum uenitur ad patrem. In filio, & propter
filium, uult Deus inconspicuis, & incompræ-
hensibilis, & immensus agnosci, & adorari,
uult exaudire omnia, que secundum ipsius uo-
luntatem, in nomine filij petierimus. Deum
nemo uidit unquam, filius, qui est in sinu pa-
tris, ipse enarrauit nobis.

Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem, nisi per
me, & nemo nouit filium, nisi pater, neq; pa-
trem quisquam nouit, nisi filius, & cuiuscunq;
uoluerit filius reuelare.

Ve mundo, ue antichristis, qui Deum sibi
somniaut, finguntq; extra filium, qui filium,
& uerbum, meritumq; eius oderunt, blasphe-
mant, & persequuntur.

1. Ioan. 2. Quis est mendax, nisi is, qui ne-
gat Iesum esse Christum? Hic est antichristus,
qui negat & patrem, & filium. Quisquis ne-
gat filium, is ne patrem quidem habet.

In 2. Epis. Omnis, qui transgreditur, &
non manet in doctrina Christi, Deum non ha-
bet.

Nam, Christus solus est Deus uerus, &
expressa imago æterni patris, in qua habitat
omnis plenitudo diuinitatis.

Non est in alio quoquam salus, non est
aliud

aliud nomen, sub caelo datum, inter homines,
in quo oporteat saluos fieri peccatores.

Hic locutus est cum sanctis patribus, &
Prophetis, & concionatus primis parentibus,
in paradiso, uerus mediator, inter Deum, &
hominem. Inimicitias ponam inter te, &
mulierem, inter semen tuum, & semen mulie-
ris, & ipsum conteret caput tuum.

Deum hic audis, cui negotium est, cum
summis hostibus, peccato, morte, & serpente,
indicientem bellum perpetuum Diabolo, com-
minantem destructionem operum eius, pro-
mittentem credentibus liberationem, a ser-
pente, peccato, & morte, idque in semine mulie-
ris, non uiri, hoc est, in carne assumpta ex ma-
tre uirgine. Hic est Christus Dominus noster,
in quem credidit Adam, Eua, Abel, Zet, No-
he, & ceteri antiquorum patrum.

Vnde ardenti pectore expectans libera-
torem Eua inquit. Nacta sum uirum Domi-
ni, existimans primogenitum Cain, esse uicto-
rem serpentis, sed is erat semen uiri. Locutus
est ad Abraham. In semine tuo benedicentur
cunctae cognationes terrae. Quod semen tam
potens, in quo benedicentur cunctae cognatio-
nes terrae, benedictione non terrena, sed coele-
sti, & spirituali est nisi semen mulieris, unicum
cum diuinitate aeterna, quod est Christus, fili-
us Dei uerus, natus ex matre uirginie, uerus ho-
mo, quem spiritu cognouit Abraham, & uera
fide adorauit, & imputatum est ei, ad iustici-
am.

Ioan. 8. Abraham pater uester exultauit,
ut uideret diem meum, & uidit, & gauisus est.
Amen amen dico uobis, antequam esset Abra-
ham, ego sum,

Hic

Hic duxit populum Israel, per mare rubrum ex seruitute Pharaonis, præcedens exercitum die, in columna nubis, nocte uero in columna ignis, sumpsit crudele supplicium de Pharaone, & toto exercitu, regni Aegypti, persequente populum Dei, teste Propheta de Christo uaticinante Psal. 67. Deus cum egredieris in conspectu populi, cum pertransires in deserto, terra mota est, & cœli distillarunt, a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

Pauit in deserto esurientes, cœlesti cibo, aquam sitientibus dedit, flumine, ex petra, educto, miraculo ostendens, se esse uerum, & uiuum panem, & ueram aquam uitæ, de qua Ioan. 4. & 6. capitibus scribitur, patres uetri comederunt manna in deserto, & mortui sunt, Hic est panis ille, de cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis, & non moriatur, Ego sum panis ille uiuus, qui de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo, fons aquæ salientis in uitam æternam.

Et Paulus I. Corint. 10. Patres nostri eandem escam spiritualem comedebant, & eundem potum bibebant, Bibebant enim de spiritali petra, quæ illos comitabatur, Petra uero fuit Christus.

Hic locutus est, cum Mose, Exod. 34. & prædicauit coram ipso, Dominator Dominus, Deus misericors, clemens, patiens, multæ miserationis, & uerax, custodis misericordiam in milia, aufers iniquitatem & scelera, &c.

Hic præfinito, per prophetas, tempore, et loco, descendit de cœlo Deus, assumpsit uerā carnem uirginis, conceptus, ex spiritu sancto, iuxta promissionē, & scripturā, Esa. 7. Ecce uirgo eris

erit pregnans, & pariet filium, & uocabitur
nomen eius Emanuel.

Hanc Prophetæ uocem repetiuit, & in
memoriam nobis reuocauit legatus Dei, e cœ-
lo missus, ad uirginem Mariam, de stirpa Iu-
da, & David. Lucæ 1. Ecce concipies, uirgo,
& paries filium, & uocabis nomen eius Iesum:
Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur,
& dabit illi Dominus Deus sedem David, pa-
tris ipsius, regnabitq; super Domum Iacob
in æternum, & regni eius, non erit finis.

Hic natus arcano consilio Dei, uerus De-
us, & homo, secundum scripta Prophetarum,
& Apostolorum, de quo iam nato testimonia
tulerunt summi præcones Dei, exercitus an-
gelorum, gratulantium mundo, tam foelicem
natiuitatem, & prædicantium gloriam Deo,
in altissimis. Lucæ 2.

Hic uerus Deus, homo est, & uerus homo
Deus. Ab ipso enim puncto temporis, quo
credidit uirgo sermonibus angeli, mox ueni-
ente spiritu, uerbum in utero, & intra uterum,
uerbum caro, mox diuinitas cum humanitate
coniuncta unam personam reddidit, filium
Dei, filium hominis, ita, ut proprietates di-
uersæ naturæ, ambabus naturis conueniant, &
communiter attribuantur uni personæ.

Et si autem duæ naturæ sint unitæ, non
tamen ita sunt commixtæ, ut alterutra amise-
rit suam natiuam essentiam. Non uersa di-
uinitas in humanitatem, nec humanitas, in di-
uinitatem, manent diuersæ naturæ, manet una
persona, unus Christus, unus Dominus, Deus,
& homo.

Instante uero cœlorum regno, uiam ipsi
præparauit uaticinio declarat? baptista, præ-
dicans

dicans poenitentiam, & remissionem peccatorum, in nomine Christi, testimonium de ipso ferens, quod esset Deus, & semen promissum, conterens caput serpentis, uerus agnus Dei, & uictima patris, tollens peccata mundi.

Hunc deinde mox sequens, ipse filius Dei, de seipso testimonia tulit, operibus declarans, se esse Deum, miraculis Euangelium regni confirmauit, quoslibet morbos sanauit, daemones eiecit, pauit multa hominum milia, imperauit uentis, suscitauit mortuos. Et testimonium de ipso perhibent omnes Apostoli, qui per spiritum locuti sunt. Ioan. 1. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & uerbum erat Deus. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & conspeximus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti, a patre, plenus gratia, & ueritate.

Et quia uenerat in hunc mundum, destrueturus opera Diaboli, traditus est, a Deo, in manus Iudeorum, & in cruce immolatus uictima est, pro peccatis mundi, factumque est iudicium mundi, in hoc iusto, qui se maledictum fecerat sponte, ex misericordia, ut maledictos iustificaret.

Cumque in morte teneri Dominus uitae non potuit, tertia die resuscitatus est, ascendit ad caelos in nubibus, conspicientibus angelis, & hominibus, accepta potestate, in caelo, & in terra, rediturus iudex uiuorum, & mortuorum. Effudit in Apostolos spiritum suum, secundum suam promissionem, perfecit sibi laudem ex ore infantium, & lactentium, aedificauit sibi Ecclesiam, in qua habitabit usque ad consummationem seculi, F Hic

Hic est Deus uerus, & uita eterna, est scala Iacob erecta in caelum, super quam ascendunt angeli DEI, ad Deum, & descendunt charitate, & ministerio ad proximum, de qua Gene. 28. Ioan. 1. Est Messias; homo ille speciosus; pater filijs hominum, ipse adonai, adorandus Dominus, benedictus in aeternum, cuius sedes in seculum seculi, qui diligit iustitiam, & odit iniquitatem, unctus oleo laticiae. Psal. 44.

Est propheta ille, Israel promissus, similis factus nobis, secundum carnem, qui dissimilimus erat homini, & omnibus creaturis, aequalis Deo, ipse Deus, sed semet ipsum inaniuit, serui forma assumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus, ut homo, humilem praebuit semetipsum, factus patri obediens, usque ad mortem, mortem uero crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu, se flectat omne genu, caelestium, & terrestrium, & infernorum, omnisque lingua confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei Patris, Philip. 2.

Si igitur Deum quaeris, in Christo inuenies, Si patrem caelestem adoras, in Christo adorabis, & exaudieris. Si iustitiam, & uitam aeternam sitis, in cruce Christi parata est, & sola fide accipi potest, neque est in ullo alio nomine salus.

Haec est uita aeterna, ut cognoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Hanc ueram noticiam aeterni Dei, patris,
filij,

filij, & spiritus sancti, & mysterium incarnati
nationis filij Dei, mundus obcecatus ignorat,
hanc lucem in tenebris lucentem, non modo,
non apprehendit, sed odit, & damnat, nouos
Deos colit, hæreses excitat, Christum, æterni
patris imaginem, peccati, & mortis uicto-
rem, & Dominum uitæ blasphemat, & per-
sequitur, nec potest agnoscere hunc Deum, ni-
si mens circumfusa nouo lumine, uerbo Dei
renouetur.

Deum itaq; & uitam non habet, iam iu-
dicatus est, in paradiso, & ira Dei manet su-
per eum. Solæ autem oues Christi, quæ uo-
cem pastoris sui Christi audfunt, Deum, iusti-
ciam, & uitam habent, renatæ ex spiritu san-
cto, sine quo nemo potest dicere Dominum es-
se Iesum.

Non autem ita agnoscunt Deum regene-
rati, ut Adam ante lapsum cognouit Deum,
sed eundem agnoscunt, quem Adam.

Cognoscunt enim Deum uerum, in filio
Dei incarnato, quem Adam, non dum lapsus,
cognouit, in filio Dei, non incarnato, quem
postea cognouit, & expectauit in semine mu-
lieris uenturo. Cernimus nunc per speculum
in ænigmate, tunc autem a facie, ad faciem.
Nunc cognoscimus ex parte, tunc uere cognos-
cemus, quemadmodum cogniti sumus.

Et noticia creaturarum, quam etiam
in Adam per peccatum amissimus, renoua-
bimur posthac, in æterna, & absoluta, &
perfecta uita, ubi reuisuri, & cognituri su-
mus parentes, fratres, filios, uxores, &
omnes electos, quemadmodum Adam
nouit

1. Cor. 15. nouit Euam, & cæteras creaturas ante lapsum. Sed agnoscemus eos in spiritali, incorruptibili, gloriosa, & potenti uita, neq; matrimonium contrahemus, neq; elocabimur, sed erimus similes angelis Dei, conformes diuinæ naturæ, quod perficiat is, qui inchoauit Dominus noster Iesus Christus, cum patre, et spiritu sancto, cui laus, & gloria in infinita secula, Amen.

DE SIGNIS VERE RENATORUM, & operibus filiorum Dei.

Postremo, impie calumniantur, & in hac re, Euangelium inimici Christi, sine modo, & sine uociferantes, doctrinam fidei uetare bona opera. Non enim docet Euangelium carnalem libertatem, & quiduis faciendi licentiam, sed damnat mala opera, docet pœnitentiam, & remissionem peccatorum, tradit libertatem spiritus, absoluens peccatorem ab accusantioe, & damnatione legis.

Et spiritus sanctus, qui operatur in cordibus fidem, erga Deum, per Euangelium, etiam excitat hominem, ad bona opera charitatis, quæ Deo grata, & proximo salutaria sunt.

Ephe. 2. Ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu, ad bona opera, quibus præparauit nos Deus, ut in eis ambulemus.

Christus ait, Cum uenerit spiritus, arguet mundum de peccato, de iusticia, & iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me, de iusticia

de iusticia, quia ad patrem uado, & posthac non uidetis me, de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Non aperit campum sceleribus, cum totum mundum arguat, de peccato, non prohibet bona opera, sed arguit quicquid est malorum operum, incredulitatem, contemptum Dei, idololatriam, & fictam operum iusticiam & humanam sanctitatem, quæ coram Deo, mera est immundities. Item prauum iudicium humanæ sapientiæ, non recte iudicantis, de Deo, & uoluntate eius, non condemnantis principem huius mundi, & inuitat ad pia opera, ad ueram agnitionem Dei, & ad uerum cultum, ad fiduciam, ad inuocationem, gratiarum actionem, dilectionem, timorem, spem, patientiam, confessionem, ad dilectionem proximi, & omnia charitatis officia, quæ proximo profunt.

Blasphemant igitur Deum operari iniquitatis, dum prohiberi Euangelio, bona opera, clamitant, & turbare tranquillitatem preterunt.

Errant, & securi, filij huius seculi, quorum iusta est damnatio, qui statuunt peccandum esse, ut abundet gratia, de quibus ad Rom. 6. Quid igitur dicemus: manebimus in peccato, ut abundet gratia? Absit, qui mortui sumus peccato, quo modo posthac uiuemus in eodem? An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus, in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus una cum Christo per baptismum, in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus, ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate uite ambulemus.

Ad Titum, 2. Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobrie, & iuste, & pie uiuamus, in presenti seculo, expectantes illam spem beatam, & apparitionem gloriae, magni Dei, seruatoris nostri, Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos, ab omni iniquitate, et purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Et uera in Christum fides natura efficax est, & conspicua in multis uirtutibus, & operibus pijs, non contemnit, non blasphematur uerbum Dei, regeneratus spiritu sancto, non habet Deos alienos, non confidit sua iusticia, non abutitur nomine Dei, non spernit uerbum, & Sacramenta, sed amat, & ueneratur, non odit, non laedit proximum, non contaminat famam eius honestam, non persequitur, non enecat eum, quem scit sibi fratrem esse, & credit haeredem fore, uitae aeternae, apud eundem patrem in coelis, non infigit leuem offensam perpetuae memoriae, qui credit sibi remissa esse decem milia talentorum, sponte sua afficitur calamitate, & dolore proximi, auxiliatur, consilio, & auxilio, diligitque non ore, & lingua, sed opere, & ueritate, non reluctatur parentibus, sed obedit, non rapit aliena, non falsa iuris specie ab alienat ea, quae aliorum sunt, fert opem aegeno, dat consilium inopi, non defraudat malo consilio, non excruciat afflictum, & pauperem, sed miseretur eius, non infamat, & condemnat innocentem, non obseruat festucam in oculo fratris sui, non fornicationi indulget, non male uult honestae

honestæ famæ uxoris, proximi sui, & in summa,
ma, quicquid sibi uult fieri, idem alteri facit,
aut certe, ex animo facere cupit.

Hæc charitatis officia, quæ ex fide iustifi-
cante, seu a iustificato, ex fide, proficiscuntur,
uere describit Apostolus. 1. Corinth. 13. Cha-
ritas, inquit, patiens est, benigna est, chari-
tas non inuidet, charitas non est procax, non
inflatur, non est fastidiosa, non quærit, quæ sua
sunt, non irritatur, non cogitat malum, non
gaudet de iniusticia, sed congaudet ueritati,
omnia suffert, omnia credit, omnia sperat,
omnia sustinet. Atq; hæc sunt opera charita-
tis, quæ in decalogo Deus præcipit, & bre-
uissime compræhendit. Diliges proximum
tuum, sicut teipsum. Item Luca. 6. Estote
misericordes, sicut pater uester misericors
est.

A filijs suis credentibus, & fide iustifica-
tis, requirit Deus opera dilectionis, seu mise-
ricordiæ, quæ ex fraterno, fideli, compatien-
te, & misere corde promanant. Et expo-
nit Christus opera misericordiæ. Nolite iu-
dicare, & non iudicabimini, Nolite condem-
nare, & non condemnabimini. Remittite, &
remittetur uobis, date, & dabitur uobis. At-
q; hæc sola opera placent Deo, quæ ipse in le-
ge præcipit, & compræhendit, & quæ ex fide
fiunt.

Non facies (inquit) quæ tibi uidebuntur,
sed quæ ego præcipio tibi.

Non opus igitur est anxie quærere, quæ
opera facienda sint, non opus est humana
temeritate, noua opera eligere, non man-
data uerbo DEI, non opus, singulare uitæ

genus excogitare, contra manifestum uerbum Dei. Imprimis regnum Dei quære, in statione tua persilte, uocationem tuam urge, nec deerit tibi unquam, quod opereris.

Ioan, 13.

Requirat autem pater a filijs, idest credentibus nouam obedientiam, seu opera noui, & regenerati hominis, primo propter hanc causam, ut cognoscantur esse filij obedientes Deo, qui per fidem iustificati, patrem, & pacem habent in cœlis. In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si charitatem habueritis inter uos mutuam. Ex fructibus cognoscitur arbor. Et hoc testimonio, bonæ conscientie opus est tum nobis ipsis, tum alijs.

Econtra uero, in hoc cognoscent tum alijs, tum nos ipsi, quod discipuli Christi, & filij Dei nequaquam simus, si dilectionem inuicem non habuerimus.

In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Omnis, qui non facit iusticiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. 1. Ioan. 3.

Atq; ita ex signis, seu fructibus fidei externis, ostendit Christus mundo, & omnibus condemnatis suos filios Matth. 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum, paratum uobis, ante exordium mundi. Esuriui enim & dedistis mihi edere. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me, nudus, & operuistis me. Infirmus, & uisitastis me. In carcere eram, & uenistis ad me. Quatenus enim fecistis uni, de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Hic prædicat Christus credentium opera hæud secus, ac si benefactis ipsorum adscribe-
ret cau

set causam iustificationis, & paterni amoris, cum tamen in operibus bonis, quæ præstiterunt, fidem ipsorum intelligat, & prædicet, sine qua quicquid fit, peccatum est.

Ideo clare addit ipse. Venite benedicti, nimirum a patre meo, iuxta promissionem. Gene. 22. In semine tuo benedicentur cunctæ cognationes terræ. Item addit, possidete regnum paratum uobis, ante exordium mundi, (paratum inquit ante exordium mundi) ne putes operibus paratum regnum æternum in hoc mundo, ab hominibus, per opera, & merita ipsorum.

Secundo exiguntur bona opera piorum, in cuiusq; uocatione, ut glorificetur Deus per opera bona, & exemplo bono inuitentur alij, ad bene faciendum.

Christus enim ait. Matt. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est.

E contra autem mala Christianorū opera deformant Euangelium Dei, præbent causam conuictorum, ut male audiat nomen Dei, inter hostes ueræ pietatis, propter iniquitatem populi sui. Et hoc peccatum punit Deus cæcitate, & amentia, induratione, infamia, morbis, bello, peste, fame, & cœteris supplicijs. Sicut e regione compensat Deus benefacta, & ornat Ecclesiam, multis cœlestibus, & terrenis bonis.

Præterea omni studio uitanda sunt peccata, & facienda bona, ut maneat, in nobis, spiritus sanctus, qui regat cor nostrum, et tueatur ab erroribus, & induratione, ac consolatur in angustijs.

Pollicetur enim Deus dona spiritualia obedientibus. Omni habenti dabitur, & non habenti etiam id, quod habet auferetur. Non enim habitat spiritus sanctus, in templo prophano. Cum autem credentes sint templum Dei, cauendum, ne peccatis profanetur templum Dei, ne spiritus sanctus egrediens, deserat mansionem suam, & ingrediatur spiritus malignus, ipse Sathan, quod euenit Cain, Saul, Pharaoni, & multis alijs, quos sicut Deus precipites ruere, in crudeliora scelera, sicut indurari, & a Diabolo obsideri, cum uerbo Dei, & summis miraculis ab impietate flecti non uoluerint. De Saul extat textus apertus. 1. Reg. 18. Post diem alterum inuasit spiritus malus in Saul.

Et de discipulo Christi, cui spiritum sanctum afflauerat Christus, sicut ceteris (ut constat ex Matth. cap. 10.) dicitur Ioannis 19. Post osculam esse ingressum Sathanam in Iudam, cuius instinctu prodidit, uendiditque Dominum uitæ, & laqueo sese desperans suspendit. Quapropter ne destituamur gubernatione spiritus sancti, non est indulgendum peccatis, sed resistendum impietati carnis, per timescenda ira Dei, & occasio faciendi boni operis non negligenda, & cum Dauide quotidie orandum. Auerte Domine faciem tuam, a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum in me crea Deus, & spiritum sanctum innoua in uisceribus meis, ne proicias me, a facie tua, & spiritum sanctum tuum, ne auferas a me Psal, 50.

Placent autem Deo bona opera credentium,

num, etiam imperfecta, propterea, quod, qui
operantur, reconciliati sint Deo, per fidem in
Christum, & quotidie orent, pater remitte
nobis debita nostra. Incredulorum uero fa-
cta, præcepta etiam uerbo Dei, non proban-
tur Deo, quod ex fide, non sint profecta, quod
operari, infideles non placeant Deo. Præcla-
ra facta sunt eorum, qui gloriantur. Domine
nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmo-
nia eiecimus, uirtutes multas fecimus. At
his respondet Christus. Discedite a me opera-
ri iniquitatis. Nunquam noui uos.

Item, Non sum sicut ceteri, iniusti, rap-
tores, adulteri, ieiuno bis in sabbatho, deci-
mas do omnium, quæ possideo. Abijt autem
hic iniustus, præ illo, qui petit ueniam delicto-
rum, uera fide, propitius esto mihi peccatori.

Quapropter si pie uiuere uoles, & opera
Christiano homine digna præstare, & uitam
æternam assequi. Ante omnia quære regnum
DEI, & iusticiam eius, ut monet Christus.
Matth. 6. Quærite primum regnum Dei, &
omnia adicientur uobis. Agnosce teipsum, &
calamitatem tuam, & damnationem, ample-
ctere ueritatem Euangelij, Iesu Christi. Soli
Deo, patri æterno, & filio eius, et spiritui san-
cto, toto pectore confide, expulsis idololatrijs,
& doctrinis demoniorum, quæ sunt diu aliena
Deum in nomine Iesu Christi adora in om-
ni necessitate. In nomine CHRISTI uitam
æternam spera, & expecta patienter. De-
um time, & iram eius ne excites metue, eun-
dem dilige, quia de te optime meritis. To-
to uitæ tempore sectare, ut perfectius appra-
hendas CHRISTUM, a quo perfecte appra-
hensus es, & ad ea enitere, quæ a fronte sunt,
& in se

& insequere iuxta præfixum signum, ad pal-
mam supernæ uocationis, ut docet Paul⁹ Phi-
lipenses cap. 3.

Ne usurpes uane nomen Dei tui, ne peie-
res, ne maledicas, ne execreris per nomen eius.
Non enim in fontem habebit Dominus eum,
qui assumpserit nomen Dei sui frustra, Neq̃
iures per cœlum, neq̃ per terram. Quia cœ-
lum thronus Dei est, & terra subsellium pe-
dum illius est, Neq̃ per caput tuum, quia non
potes unum pilum album, aut nigrum facere,
Sed erit sermo tuus, est est, non non. Quod
ultra hæc adiungitur ex malo proficiscitur.
Matth. 5.

Si opus est ueritatem affirmare iurando,
per nomen, Dei tui, iurabis, Deute. 6.

Benedic proximo tuo. Inuoca nomen
Dei tui, in tribulatione, & eripiet te, ut hono-
rifies eum. Conciones sacras diligenter au-
dias, & confitearis fidem tuam, & Deum tu-
um, coram mundo, ut confiteatur te, filius
Dei, redemptor orbis, coram patre suo cœ-
lesti. Qui enim negauerit Christum, negabi-
tur a Deo rursus, coram angelis. Sacramen-
tis utere, ceremonias mandatas custodi, ac re-
cte sabbathum sanctifica, ut sanctificeris ipse
per ueritatem. Lauda Deum tuum in Psal-
mis, & hymnis, & canticis spiritualibus.
Ephe. 6. Impleamini spiritu loquentes uobis
metipsis, per Psalmos, & hymnos, & cantio-
nes spirituales, canentes, & psallentes in cor-
de uestro, Domino semper gratias agentes, de
omnibus in nomine, Domini nostri Iesu Chri-
sti, & Deo patri, Altera

Altera Mofi tabula dilectionem proximi postulat, ordinat magistratus, sancit leges civiles, & iudicia, defendit propriam bonorum possessionem, coniugium legitimum, & uindictam magistratus, erga inobedientes, iuxta leges concedit, exigit ueritatem, in dictis, & factis.

Proinde fili honora patrem tuum, ac matrem tuam. Hoc est præceptum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Ephe. 6.

Et uos parentes ne prouocetis ad iram liberos uestros, ne despondeant animum, sed educetis eos per eruditionem, et correptionem Domini, Ephe. 6. Col. 3.

Serui obedite ihs, qui Domini sunt, iuxta carnem, cum timore, & tremore, cum simplicitate cordis uestri, tanquam Christo, non ad oculum seruientes, ueluti hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes, quæ uult Deus, ex animo, cum beneuolentia seruientes Domino, & non hominibus, scientes illud, quod unusquisque reportabit bonum quod fecerit, a Deo, siue seruus fuerit, siue liber.

Et uos Domini eadem facite erga illos, remittentes minas, scientes, quod & uester ipsorum Dominus est, in cœlis, nec personæ respectus est apud Deum.

Uxores proprijs uiris subditæ sitis, tanquam Domino, quoniam uir est caput uxoris, quemad-

quemadmodum Christus est caput Ecclesiae.
Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus
dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit,
pro ea. Qui diligit uxorem suam, seipsum
diligit. Ephe. 5.

Omnis anima potestatibus supereminen-
tibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi a
Deo, quæ uero potestates sunt, a Deo ordina-
tæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, resi-
stet ordinationi Dei. Qui autem resisterint, sibi
ipsis iudicium accipient. Nam, principes non
terrori sunt bene agentibus, sed male agenti-
bus. Non frustra gestat gladium. Dei minister
est, ultor ad iram ei, qui malum fecerit, Ro-
mano. 13.

Proinde & uos reges intelligite, erudimini,
qui iudicatis terram, seruite Domino in timo-
re, & exultate ei, cum tremore. Apprehen-
dite disciplinam, ne quando irascatur Domi-
nus, & pereatis de iusta uia. Cum exarserit
in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt
in eo, Psal. 11. Diligite iusticiam, qui iudica-
tis terram, Sapient. 1.

Hiere. 22. Hæc dicit Dominus, facite iu-
diciam, et iusticiam, & liberate uos oppressum,
de manu calumniatoris, & aduenam, & pu-
pillum, & uiduam nolite contristare, neque op-
primatis iniuste. Et sanguinem innocentem
ne effundatis.

Ve illi, qui ædificat domum suam in in-
iusticia, & cœnacula sua non in iudicio. Ami-
tum suum opprimit frustra, & mercedem eius
non reddit ei.

Leuitia

Leuiti. 19. Non facies quod iniquum est,
nec iniuste iudicabis, Ne consyderes perso-
nam pauperis, nec honores uultum potentis.
Iuste iudica proximo tuo, Non eris crimina-
tor, nec iusurro in populo, Non stabis contra
sanguinem iusti.

Deute. 19. Non accipies personam, nec
munera, quia munera obcœcant oculos sapi-
entum, & mutant uerba iustorum. Iuste quod
iustum est, persequere, ut uiuas, & possideas
terram.

Cogitate gubernatores mundi, Deum uos
constituisse cuitodes utriusq; legis, Defendite
& fouete ueram religionem, abrogate idola,
& cultus excogitados, contra ueram Euangelij
doctrinam, punite blasphemias, alite Ecclesiæ
doctores, qui puram Euangelij sententiam
tradunt, ferte opem, ut conseruentur, & pro-
pagentur ad posteritatem literæ, & retinea-
tur uera Dei agnitio, & uerus Dei cultus, uera
inuocatio, sine qua nulla salus hominum est in
cœlis.

Colite patres, qui gignunt filios fidei,
Prophetarum, et Apostolorum, curatores ani-
marum ueststrarum, de quibus Christus ait.
Qui uos audit me audit, qui uos contemnit
me contemnit, & eum qui misit me.

1. ad Tessa. 5. Rogamus uos fratres, ut ag-
noscatís eos, qui laborant inter uos, & qui
præsunt uobis in Domino, & admonent uos,
ut habeatis illos in summo precio, per chari-
tatem, propter opus illorum, pacem habete
cum illis.

1. Timo. 5.

1. Timo. 5. Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime in, qui laborant in sermone, & doctrina. Dicit enim scriptura boui trituranti, os non obligabis, & dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem ne admiseris, nisi sub duobus, aut tribus testibus.

Ne lædas corpus proximi tui, ne denigres famam eius, ne prosequaris ipsum odio, & amarulentia. Omnis enim, qui odio habet proximum suum, homicida est. Homicida autem non habet uitam in se manentem. Fama bona nihil præclarius in hoc mundo, eam si denigraris semel, nunquam restitues.

Ne credas subito, accusatori. Multa comminiscuntur amarulenti de proximo. In omni accusatione audi alteram partem, nec metiaris ueritatem ex seueritate sermonis, ex opibus, largitionibus, amicitia, fauore, auctoritate, ne falso persuasus noceas innocenti.

2. Para. 19. Videte iudices, quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in uos redundabit. Mellior est misericordia, quam summum ius, quod summa sæpe est iniuria.

Leuiti. 19. Non stabis contra sanguinem proximi tui, Ego Dominus, non oderis fratrem tuum, in corde tuo, sed publice argue eum.

Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, uade, & argue eum inter teipsum solum, si te audierit,

audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non
audierit, adhibe tecum adhuc unum, aut duos,
ut in ore duorum, aut trium testium, consistat
omne uerbum. Quod si non audierit, dic Ec-
clesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi
uelut ethnicus, & publicanus.

Iraſcimini, nolite peccare. Sol non occi-
dat super iram ueſtram. Quoniam quiſquis
iraſcitur fratri ſuo, obnoxius eſt iudicio.
Matth. 5.

Caſtitem ama, Scurriles, & impudicas
uoces fuge. Corrumpunt bonos mores collo-
quia praua. Coniugium immaculatum ſer-
ua, propter fornicationem uitandam ſuam
quiſq; uxorem habeat, & ſuum quæq; uirum.
Melius eſt nubere, quam uri. 1. Corinth. 7.
Quoniam, qui aſpexerit uxorem alterius, ad
concupiſcendam eam, adulterium cum ea com-
miſit, in corde ſuo. Matth. 5. Scottatores, &
adulteros iudicabit Dominus. In proprium
corpus peccant, & ſeparant adulterio, quos
Deus coniunxit, in carnem unam.

igne Deus perdidit Sodoma, & Gomor-
ra, propter impietatem, & foedas libidines.
Et proſtrauit uiginti quinque milia bellato-
rum, ex familia Benjamin, & urbes eorum
igne deleuit, propter execrandam fornicatio-
nem, & uim illatam uxori Leuitæ. Nu. 19.

Coniunctis autem honeſto matrimonio
benedicit Deus. Beati omnes, qui timent
Dominum, qui ambulant, in uis eius, Labo-
res ma-

G

res ma-

res manuum tuarum manducabis, beatus es,
& bene tibi erit. Vxor tua sicut uitis abundans
in lateribus domus tuæ. Filij tui, sicut
nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce
sic benedicetur homo, qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut
uideas bona Hierusalem omnibus diebus uitæ
tuæ. Et uideas filios filiorum tuorum, pacem
super Israel. Psal. cxxvij.

Alicena ne rapias, nec iuris simulatione
ad te trahas. Vltor est Deus omnis furti.
Male parta, male dispereunt. De male quæ
sitis non gaudet tertius hæres. Usuram dam
nat, & execratur Dominus.

Domine, quis habitabit in tabernaculo
tuo? quis requiescet in monte sancto tuo? Qui
ingreditur, sine macula, & operatur iustici
am, qui loquitur ueritatem in corde suo, qui
non egit dolum in lingua sua, nec fecit proxi
mo suo malum, & opprobrium non accepit
aduersus proximos suos. Ad nihilum dedu
ctus est in conspectu eius malignus, timentes
autem Dominum glorificatur.

Qui iurat proximo suo, & non decipit,
Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, &
munera super innocentem non accepit. Qui
facit hæc, non mouebitur in æternum. Psal
mo, xliij.

Serui fideliter curent, seruentq; res Domi
norum suorum. Venditores equo reuendant
merces. Operarij iustum postulent, pro labo
ribus.

ribus. Milites stipendijs contenti sint, ne despolient oppressos.

Hospites ne emungant aduenas argento, gemitus egenorum ad cœlum clamitat. Tutores pupillorum, & uiduarum ne defraudent orphanos.

Nolite facere iniquum in iudicio, in regula in pondere, in mensura. Stathera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquus sextarius. Leuiti. 19. Non habebis in sacco tuo, diuersa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua, modius maior, & minor. Pondus habebis iustum, & uerum, et modi⁹ equalis, & uerus erit tibi, ut multo tempore uiuas, super terram. Abominatur Dominus Deus eum qui facit hæc. Deute, 25.

Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die dabis ei precium laboris sui, ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi peccatum Deuter. 24.

Mandauit Deus, lapidibus obrui Achan, & exercitum Israel fuit profligari, propter furtum commissum in ciuitate Iericho, postquam ea cecidit forti manu Dei, clangentibus tubis Israel. Multo atrocius puniet Deus, horum temporum despoliarores Ecclesiarum, qui Ecclesias suis denudant bonis, ut ip-

si ditescant, Ecclesia paupertate pereat, & in uerbo Domini laborantes ægestatem patiantur, pauperes deserantur, scholæq; destruantur. Non impune hi euadent, præsertim cum non ipsorum uirtute, & potentia ceciderit Iericho, nostro seculo, sed spiritu, & tuba oris Dei turbata sit Babylon.

Quin potius dare, & dabitur uobis. Mensuram bonam, & confertam, & concussam, atq; exundantem dabunt, in sinum uestrum. Eadem quippe mensura, qua metimini, metientur uobis aliq.

In uerbis uerus, in contractibus, & iudicijs, iustus sis, in fœderibus pijs, fidelis, & constans.

Calumniam, imposturam, maledicentiam, obtreptionem, & omnem simulationem fugito, & calumniosam accusationem ne accipias.

In omni accusatione audi alteram partem, priusquam de accusato uerbum pronuncies, ne innocenti ob sis. Psal. 33. Venite filij audite me, timorem Domini docebo uos. Quis est homo, qui uult uitam, & diligit uidere dies bonos? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum, diuerte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.

Simulatio omnis, & mendacium, pestis est omnium perniciosissima paci, & tranquillitati,

litati, & causa infiniti mali. Sathan pater mendacij est, qui totum genus humanum, mentiendo, calumniandoq; occidit, & efficit sedulo, ut mendacium homicidia sequantur.

Soli animantium homini sermo a Deo datus est, ut uera mentis cogitata proferat, & sui animi alium participem faciat. Proinde si uera dicere non uis, taceas, ac mancas equus, & mulus, in quibus non est intellectus, & ueritatis sermo.

Ecclesiast. 5. Esto paratus ad audiendum uerbum Dei, & cum sapientia profer uerum. Si est tibi intellectus responde proximo tuo, sin minus, compeſce manu os tuum, ne capiaris, & confundaris. Honor, & gloria in sermone sapientis. Lingua uero imprudentis subuersio ipsius est.

Breuiter, Diligas proximum tuum sicut teipsum. Qui diligit proximum, legem expleuit. Roma. 13. Siquidem illa.

Non committes adulterium.

Non dices falsum testimonium.

Non concupisces, & si quod aliud præceptum est, id in hoc sermone summam comprehenditur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio malum proximo non operatur.

Quid uero est, quod lex ait, non concupisces? Ostendit seruos inuites nos esse, quod ad integram, & sanctam uitam agendam at-

tinet.

tenet, assidueq; nobis orandum esse, Pater
noster æterne, & iuste Deus, remitte nobis
debita nostra, propter filium tuum, Domi-
num, & uictorem nostrum, Iesum Christum.

Non intres in iudicium tuum, cum seruo
tuo. Quia in conspectu tuo, non con-
sistet omnis uiuens, rege nos spi-
ritu tuo. Nisi enim tu Do-
mine seruabis nos, in
uanū uigilant ocu-
li nostri.

Finis.






Fg 2962 ^a₌

(X2272680)

Hc 499
~~W~~
sprühen





DE IMAGI=
NE DEI ET PRIMORVM

Hominum, Conditorum ad
effigiem DEI.

DE CORRVTIONE

Imaginis, & destructione huma-
næ naturæ.

DE RENOVATIONE

Imaginis, quæ fit per uerbum semi-
nis promissi, & exhibiti filij Dei.

DE SIGNIS RENATORVM,

& uerorum filiorum Dei, breuis, & sim-
plex, & dilucida explicatio, & Confessio,
contra Antichristos omniũ temporum,
& nostræ ætatis, frustra mordentes
calcaneum Christi, uenientis iam
ad iudicium uiuorum,
& mortuorum.

M. Tilemanni Cragij Luchouiani.

Anno 1549.

Omnis, qui transgreditur, & non ma-
net in doctrina Christi, Deum non
habet, 2. Ioan.

